

fredi Bastonis, et aliorum multorum quorum nomina longum est enarrare, per definitionis scripturam universa quæ auferebat usurpando ob remissionem peccatorum suorum, et propter quadraginta uncias auri valentiæ quas inde accepit, præfato Episcopo et ejus Canonicis præsentibus et futuris perpetuo possidenda dimisit. Post jam dicti patris mei vero discesum ego jam dictus Pontius Comes in honorem succedens definitionis scripturam violenter transgrediens, et alia mala quamplurima perpetrans, in excommunicationis crimen deveni; de quo per Dei gratiam ab Gerundensi Episcopo Berengario Dalmatii, et ejus Canonicis absolutus sum, quia per laudamentum Pontii Guillelmi de Turredele et Guillelmi Seniofredi ac filii ejus Berengarii, et Raymundi Renardi in Ecclesia sanctæ Mariæ de Castilione coram omni populo prælibatam definitionis scripturam laudavi, et manu propria signo puncti firmavi. Quæ omnia, ego prænominatus Pontius Comes, licet sub sigillo bonæ fidei tenere ac observare promississem, inverecunda fronte irrationabiliter fregi, ac violavi. Sed quia vim vi repellere leges et jura concedunt, Raymundus dominus meus Barcheonensis Comes, cui ego totum suum honorem per manus propriæ sacramentum jurando firmaveram, propter hoc fecit mihi guerram, quia tamdiu Gerundensi Ecclesiæ suam justitiam denegaveram. Unde quia justitiæ quisquam diu resistere non potest, in potestatem prædicti Raymundi Comitis domini mei deveni, atque per illius præceptum, et multorum fidelium hominum meorum consilium scripturæ definitionis, et evacuationis scripturam quam pater meus fecerat, et ego firmando laudaveram; iterum reformando corroborare procuro. Diffinitio namque et evacuatio ob remissionem delictorum meorum eidem gloriosissimæ Dei genitrici Mariæ ejusque canonicæ in perpetuum omnes forciat, et tollat, et malas personas, et omnes malos usaticos quos pater meus Ugo et Pontius avus meus bonæ memoriæ Comites habuerunt, vel tenuerunt in decimis Ecclesiæ sanctæ Mariæ Castilionis, et in omni alodio, quod Gerundensis Canonica quocumque modo habet, vel habere debet

in omni villa Castilionis, vel in omni termino parrochiæ ejusdem Ecclesiæ, scilicet in domibus, vel etiam in ceteris rebus usui hominum congruentibus. Non solum hæc scripta superius diffinio et derelinquo, sed etiam omnia illa quæ post mortem eorum quocumque modo male usurpavi, vel adempavi in decimis ejusdem Ecclesiæ, et in omni alodio Gerundensis canonicæ quod habetur in eadem parrochia, scilicet ipsam albergam quam ego et mei faciebamus in dominica domo Gerundensis canonicæ, et ipsam domum quam construebam in cimiterio sanctæ Mariæ supra ipsum cigar, et ipsos quatuor sextarios quos accipiebam in decimis sanctæ Mariæ, et ipsam mesereriam quam accipiebam ex hominibus sanctæ Mariæ, et ipsum receptum quem bajulos meus accipiebat ex bajulo sanctæ Mariæ, non accipiat nisi se tertio, et sine cibaria, et propter faciat fideliter donari sanctæ Mariæ omnes decimas ex toto alodio Comitis. Hæc omnia diffinio, et dimitto, evacuo, atque derelinquo, vel etiam hoc diffiniendo addo, sive promitto, atque convenio, quod non vetabo, nec vetare faciam præpositis vel clericis Gerundensibus vendere quodcumque vel cuicumque voluerint omne ipsum expletum quod Gerundensis canonica habebit in villa Castilionis tam vinum quam et aliud cujuslibet annonæ genus, vel ferre, vel transmutare alicubi, si et voluerint, vel dare alicui, si elegerint, vel facere omnem eorum voluntatem, sed ita solide et libere Gerundensis canonica habeat, et teneat omnes decimas et omnia alodia quæ habet in villa Castilionis, vel in futuro habebit sicut privilegia regalia continent, in quibus eadem collata sunt Dei genitrici Mariæ Virginis beatæ, scilicet quod nullius servitutis, vel subjectionis vinculo subdantur, vel nullum placitum ibi celebretur nisi à præposito Gerundensis sedis, vel nulla violentia in alodio ejusdem canonicæ hominibus ibi manentibus ab aliquo ingeratur, sed omnia maneant solida et libera in potestatem ejusdem canonicæ in æternum et ultra. Quam diffinitionem facio eidem canonicæ propter quadraginta uncias auri valentiæ quas pater meus Ugo accepit à clericis Gerundensibus ex rebus ejusdem cano-

nicae et propter diversas et multas violentias atque injurias, propter plurima etiam sacrilegia, et opprobria, quae ego minus caute in Ecclesiis, in clericis, in honoribus ecclesiasticis saepe intuli Deo et Ecclesiae Gerundensi quam ita volo esse firmam, ut neque ego, neque meae posteritatis, nec aliquis quislibet meus successor in his quae diffinitio valeam, vel valeant aliquid requirere, vel expetere neque per meam vocem, aut successionem quicquam obtinere; sed sit haec diffinitio stabilis et inconvulsa omni tempore. Quam siquidem diffinitionem ego praefatus Comes Pontius facio Domino Deo, et canonicae sanctae Gerundensis Ecclesiae et domno Berengario Gerundensi Episcopo, et omnibus Canonicis suis, et cunctis eorum successoribus in perpetuum. Siquis vero, quod absit, hanc irrumperere tentaverit, sacrilegii summam componat, et insuper anathematis vinculis subiaceat, et potmodum haec scriptura diffinitionis firma maneat, et stabilis omni tempore. Acta scriptura hujus diffinitionis XVI. Kal. Octobris, anno XX regni Ledovici Regis, dominicae incarnationis anno centesimo vigesimo octavo post millesimum. S. Pontii Ugonis Comitis qui hanc diffinitionem, et evacationem feci, firmavi, firmarique rogavi. S. Berengarii Renardi Vicecomitis. S. Bernardi Berengarii Vicecomitis de Tedzon. Petrus Guillelmi praesbyter, qui hoc rogatus scripsi die, annoque prefixo.

XLI.

Berengarii Episcopi Gerundensis donatio ad monasterium Rivipullense. Anno. 1144. Ex archivo monasterii Rivipullensis.

Sanctissimis antiquorum patrum instruimur auctoritatibus, et monemur congregationibus fidelium pastoralis sollicitudine providere, ne divino postposito officio secularibus causa necessitatis in tempore oporteat vacare. Hac igitur de causa divina miseratione compulsus, ob amorem sanctissimae virginis genitricis Dei Mariae, ego Berengarius gra-

tia Dei Gerundensis Ecclesiæ Episcopus favore atque consensu Archidiaconorum nostrorum, necnon et sacri custodis atque Capituli scholarum, ac voluntate totius cleri, votive et potentialiter ofero, laudo, dono Domino Deo, et prælibatæ Dei genitrici Mariæ, et cœnobio Rivipullensi, ac Petro ejusdem monasterii Abbati, ejusque successoribus, et monachis præsentibus atque futuris Ecclesiam sanctæ Cecilie de Molon cum decimis et primitiis, alodibus, atque oblationibus fidelium tam vivorum quam defunctorum, cunctis suis pertinentiis, quæ juris esse sui dignoscuntur, vel fuerint, Deo donante, ob remedium animæ meæ scilicet, et parentum meorum, et ut mei memoria sollemnis atque assidua in orationibus illic permanentium fratrum pereniter habeatur. Hoc modo itaque dono ut sit in obsequio atque regimine necnon et dominatione præfatæ Ecclesiæ Rivipollentis per secula, salva tamen obedientia, ac reverentia Gerundensis Ecclesiæ in curiis sinodalibus, ac vetitis ejus observandiis, et ut solito modo Episcopus, Archidiaconi, et clerici Gerundensis Ecclesiæ hostitia, et justitias, servitia clericorum illic existentium habeant, et inveniunt. Siquis contra hanc nostram donationem ad irrumpendum venerit, non hoc valeat vindicare, quod temerarie requisierit, sed tandiu anathematis vinculo subjaceat, et Judæ traditoris particeps fiat, donec digne satisfaciatur, et sic hæc carta stabilis atque inconcussa omni tempore permaneat. Facta carta donationis XIII. Kal. Augusti, anno dominicæ incarnationis MCXLIII. octavo autem regni Leovici Regis junioris. Berengarius Dei gratia Gerundensis Episcopus Ecclesiæ. Berengarius sancti Felicis Abbas. Berengarius Gerundensis Ecclesiæ Archidiaconus. Hoc scriptum signo Geraldus corde benigno. Arnaldus de Rogationibus levita. Guillelmus Gerundensis Ecclesiæ caput scholæ. Guillelmus Gerundensis Ecclesiæ Precentor. Ista superscripta Berengarius firmo Sacrista. Bisullunensis probat hoc levita Guillelmus. Petrus Borrelli Presbyter et Canonicus. Arnallus Johannis Presbyter et Sacrista secundus. S. Guillelmi gratia Dei Gerundensis Ecclesiæ Episcopi. Sunt scrip-

ta manu Arnalli Presbyteri, et monachi die et anno quo supra.

XLII.

Donatio Berengarii Episcopi Gerundensis ad Ecclesiam sanctæ Mariæ de Bisulduno. Anno 1147. Ex archivo regio Barcinonensi.

Juxta scita legum et sacrorum auctoritatem canonum justitiæ, et santitati congruum est, et consentaneum quatenus sanctæ Dei Ecclesiæ personis illis tradantur et concedantur habendæ, et disponendæ, quarum sollerti industria, et provida sollicitudine, et res exteriorès in melius promoveantur et dilatentur, Deoque laudes in eisdem ecclesiis à viris religiosis eidem diebus et noctibus devotissimè persolvantur. Idcirco ego Berengarius Dei dignatione Gerundensis Episcopus consilio et voluntate Archidiaconorum, et Canonicorum nostrorum, videlicet Archidiaconi Gerundensis, et Willelmi Archidiaconi Bisuldunensis, et Willelmi Primicerii, et Arnaldi Johannis Sacristæ, et aliorum, anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo quadragessimo septimo, rege Lodovico Hierosolimam proficiente, concedo laudo, habendum et in perpetuum possidendum trado Ecclesiam sanctæ Michaelis de Mediano cum omnibus ad eam pertinentibus Ecclesiæ sancti Ruffi, sanctæque Mariæ de Bisulduno, tibi que Bernardo prædictæ Ecclesiæ Priori, ut tu et successores tui, sanctique Ruffi Canonici prædictam Ecclesiam cum omni integritate, et plena pace in perpetuum habeatis, et possideatis, præsertim cum ex antiquis privilegiis chartarum manifestissimis documentis eandem Ecclesiam de Mediano ad jus Ecclesiæ sanctæ Mariæ Bisuldunensis spectare, et pertinere allegaveritis, et probaveritis, multosque labores pro ea sustinueritis. Berengarius Dei gratia Gerundensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi. Enoch Anglicus scriptor hujus chartæ subscripsi die annoque præfixo.

XLIII.

Epitafium Serenissimi ac Victoriossissimi Domni Raymundi Berengarii Comitis Barchinonensis, Regis Aragonum et Ducis Provinciæ, anno 1163 dum ejus ossa transferri in Ecclesiam est curatum, in tumbo inventum pergamena charta exaratum.

Anno Domini 1162. octavo idus augusti inclitus Marchio Serenissimus Dominus Raymundus Berengarii Comes Barchinonensis Princeps et Rex Aragonensis, et Dux Provinciæ obiit in Italia apud Vicum Sancti Dalmatii: hicque Dei virtute protectus Almariam, Tortosam, Siuranam, et usque ad quadraginta oppida circa Iberum amnem pugnando cum Saracenis potenter abstulit. Illerdam et Fragam uno die simul cepit. Ecclesiam Dei usque ad trescentas Ecclesias in finibus Saracenorum construxit sive dilatavit. In obitu etiam suo claruit miraculis tam in Italia quam per totam Provinciam, necnon per totum iter dum Corpus ejus ad Monasterium Rivipullense afferretur, ubi et jussu ipsius adue viventis in Ecclesia in hoc sepulcro honorifice tumulatum requiescit ibique sepe et sepiissime evidentibus crebris claruit miraculis. Miles hic strenuissimus, larguissimus et multum amabilis claruit in vita sua. Sarracenorum triumphator mirabilis fulsit. Hic etiam tributa ab omni regno Valentix Murix et omnibus eorundem Regnorum oppidis et quasi à tota Hispania largiter et potenter accepit. Quid plura dicemus de isto Serenissimo Principe Domino nostro? Hic certe rex pacis, princeps justitiæ Dux veritatis et æquitatis, armiger intemerate fidei christianæ, contra Sarracenos et infideles debelator fortis, cujus sagita numquam abiit retrorsum, nec declinavit clipeus ejus in bello, et ejus numquam est aversa hasta. Incliti Christianorum plebis flete, quoniam cecidit dux vester. Vox in Cathalonia et in Aragonia sonet tanti Domini recessum pie ploret Ecclesia. Iam circumdabunt eam canes multi quoniam longe factus

est ab ea auxiliator ejus, jam ad suam non aspicit defensionem, jam tribulatio proxima est, et non est qui adjuvet. Iam in hoc sepulcro jacet Protector solitus, non certe consurget, adversus preliantes in eam. Idcirco clama in cillio et planctu pia Mater, induere viduitatis vestes tanto Serenissimo et Victoriosissimo filio viduata. Plora igitur plora, deducant oculi tui lacrimas per diem et noctem quoniam defecit anchora spei tuæ. Heu qualem amissisti filium conciliatorem et protectorem! Extincta est lucerna in medio Ecclesiæ micans, ut non tibi sed sibi luceat, non mundo sed celo splendeat. Quid ergo dicemus? Cui conquaramur? Certe (ut intuemur) à Domino factum est istud, et ideo sibi dicamus: Cur bone Jesu tam velociter tui Sponsa quam in cruce moriens desponsasti, tantum abstulisti filium protectorem et contra ejus hostes belligerum? Certe voluisti eum tecum; certe Domine non eo egebas, ut ipso bene quidem ei subvenisti. Sed nos orphanos reliquisti. Non conqueror quod aliud quam justum est equum feceris, quoniam certe ipse merebatur finem imponere hujus vitæ laboribus et tuum esse, sed dolemus quod tantum incurrerit damnum Ecclesia eo abeunte. Utinam eum redderes ut tuam regeret, stabiliret et defenderet Ecclesiam vel ut prius. Heu Serenissime Rex et Victoriosissime Princeps Raymunde Berengarii nostræ sustentationis baculum: Ubi es? Ubi cubas? Certe Victoriosissime Princeps in Monasterio Rivipullensi. O felix inquit Rivipulle Villa decoratissima, quæ non minorem de Principibus mundi retines! Gaude ergo Rivipulle et letare quod tanto Domino meruisti sublimari. Suspende et tu Cathalonia in salicibus organa, non pius cesset fletus cum tui Serenissimi et pretiosissimi Domini Raymundi Berengarii recordaris quem amissisti. Tanta denique tibi insit doloris affectio quantum damnum. Sed quæ possent mortalium linguæ quanta eo superstite aderat toti Ecclesiæ utilitas: quanta Christianorum singulis salubritas; quantum damnum quantaque Sarracenis et infidelibus destructio et dispersio? Hic certe omnibus christicolis amabilis erat, et decorus in vita sua: et ideo ejus recessu singulis

ferè licet. Nèc est qui se abscondere vel excusare possit. Quid plura? Certe ut breviter concludamus, non vere diligit qui sua tantum utilitate diligit: idcirco et si pro ea quæ nobis evenit inutilitate dolemus, et pro ea quæ recipit gaudia colletemur. Cessæt igitur dolor, abeat tristitia quibus autem attingere non possumus que vellemus que non solum nullum adhibet remedium dolori sed augeat si ipsum victoriosissimum dominum diligimus ejus letitia gaudeamus; adsit ergo hodie nobis causa magna letitiæ: cantet quilibet nostrum novum Domino canticum honoris; iubilet vocibus mater Ecclesia in himnis et confesionibus; plaudeat hodie plebs Cathalana et Aragonensis; undique jucundetur christiana concio: hodie certe iste Victoriosissimus Princeps et Dominus Raymundus Berengari obtinuit quod tanto tempore estuabat desiderio: hodie devictis hostibus securum obtinuit triumfum, certe omnibus expletis laboribus requiem possidet sine fine. Jam non esuriet neque sitiet amplius, neque cadet super illum sol neque ullus estus, ablata est ab oculis ejus omnis lacrima, abiit omnis luctus, iam certe sibi dolor deinceps non erit, iam certe mercedem habet pro qua toto tempore vite suæ laboravit. Consolemur ergo, demus magnificentiam deo nostro quoniam non derelinquet servum suum sine adjutorio in tribulationibus, sed adjutor et protector suus factus liberavit corpus suum à perditione et à manibus infidelium, et eum sublimiter collocavit infra Patris mansiones. Ubi est omne gaudium, omnis suavitas, omne quod desiderari potest. Ubi felix et gloriosa est refectio animarum post labores et erumnas: Ubi dulcis solemnitatis angelorum. Ubi una societas et charitas omnium civium supernorum. Ibi certe neminem timor aut dolor concutit. Ibi nulla penitus agnoscitur tribulatio aut adversitas: nulla ibi infirmitas nominatur: nulla ibi prorsus presentis gloriæ expectatur minoratio, sed augmentum, scilicet cum omnium universalis erit resurrectio mortuorum. Ubi tum Corpus cuiuslibet beatorum simul cum anima predictam gloriam quam nunc sola possidet anima sine interminabile possidebit. Quis autem Angelorum vel hominum quanta

sit minor particula gaudiorum et gloriæ quæ ibi sunt, esset sufficiens enarrare? Quis est intellectus ad hæc intellegendum idoneus, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in eor hominis ascendit? Certe si hæc quanta sint gaudia consideratur, terrena omnia viliora omni stercore apparebunt. Hæc vita caduca et momentanea respectu illius mors potius dicenda quam vita. Ista misera vita, semper in prosperis decipit, tantos decipit, tantos seduxit, tantos obcecavit, quæ dum apparet nihil est, dum videtur umbra est, dum exaltatur fumus est, dulcis est stultis, amara sapientibus timenda est fugienda est quasi umbra mortis, et velut sompnum. Periculosa est, brevis est, ve eis qui eam credunt, bene eis qui eam contempnunt, semel et ve iterum qui eam diligunt, bene et verè bene qui eam expernunt. Quid imbecilius miseria hujus vitæ qua tot circumdamur dolorum et passionum agminibus, ut nulla pene hora sit in qua vivens quicumque homo liber à dolore transeat. Idcirco nullus sexus vel etas vel conditio doloris transit expers quousque in hac maneat miseria vitæ, omnis mundi fallax et vana letitia, pondus amarissimum et prava Sarcina. Hanc quippe sarcinam deponens iste Serenissimus et Victoriosissimus Princeps Raymundus Berengarii optimam illam partem elegit quæ nullo tempore auferetur ab eo. Rogamus ergo, gaudete quod iste Serenissimus Princeps Dominus noster R. B. iam certe bravium obtinet pro quo in agone hujus seculi ab infidelibus debellando cucurrit. Exultate quod iam victor de suis hostibus triumphavit cum quibus scuto timoris domini munitus viriliter dimicavit. Cantate quod iam denarium recepit pro quo tanto labore in vinea Sanctæ Ecclesiæ laboravit. Psalite quod iam talentum Domino reddidit duplicatum. Pro cuius mercede in gaudium Domini sui meruit introire. Propter hoc iterum dicimus gaudete, et cantabimus canticum novum ut sit laus ejus in Ecclesia Sanctorum. Ergo ad insulas longe divulgetur nomen suum, ut sit in eternum ejus memoria in benedictione. Exultate igitur carissimi Patres et Domini Cathalani et Aragonenses, letamini et laudate

quam decus est laudare dominum qui mirabilis se in suis declarat servis! Exulta precipue Sacra mater Ecclesia gloriosissimæ Virginis Mariæ Monasterii Rivipullensis, cujus hodie gloriosus filius et cultor amator et fundator precipuus omnibus extirpatis Sarracenis et infidelibus de agro fidei Catholicæ ut Sol relucet inter agmina beatorum. Ergo fratres carissimi et Domini consideratis omnibus supradictis et multa alia magnifica quæ dicuntur et leguntur de ejus vita, et quæ ipsi tantum occulta erant, Deo autem manifesta, credimus quod fas est dicere. Anima ejus requiescat in pace, sed pie credimus quod vere dicere posumus et ipse exoret Deum pro nobis. Vale igitur. Vale et Salve Serenissime Rex et Victoriosissime Princeps gloriose Raymunde Berengarii, nostri semper faciens apud Deum memoriam, ut tuum valeamus piissima intercessionem et in presenti ab omnibus protegi inimicis et in futuro gaudia quæ jam tu, ut pie credimus, possides adipisci. Amen.

XLIV.

Guillelmi Episcopi Gerundensis litteræ, quibus Monasterio Rivipullensi donat Ecclesiam sanctæ Leocadiæ.

Ann. 1167. Ex archivo ejusdem Monasterii.

Sanctissimis antiquorum patrum instruimur auctoritatibus, et monemur congregationibus fidelium pastoralis sollicitudine providere, ne divino postposito officio secularibus causa necessitatis in tempore oporteat vacare. Hac igitur de causa divina miseratione compulsus, ob amorem Sanctissimæ Virginis Dei Genitricis Mariæ, et propter remedium simul animæ meæ, ac bonæ memoriæ Domini Berengarii Gerundensis Episcopi avunculi mei, ego Guillelmus gratia Dei Gerundensis Ecclesiæ Episcopus favore atque consensu Domini Pontii Dertosensis Episcopi Canonici nostri, et Arnalli de Rogationibus, ac Guillelmi de Munels Archidiaconorum, et Petri Berengarii Ausonensis Sacristæ et Canonici nostri, ac voluntate clericorum nostrorum votive et po-

tentialiter offero, laudo, dono Domino Deo, et beatæ genitrici Dei Mariæ, et cœnobio Rivipulensi ac Gaufrido ejusdem monasterii Abbati, ejusque successoribus, et monachis præsentibus atque futuris inibi habitantibus, vel inhabitaturis Ecclesiam sanctæ Leocadiæ de horto Madronæ cum Ecclesia castri de Palatiolo suffraganea sua, et cum decimis et primitiis, alodiis, atque oblationibus fidelium tam vivorum quam defunctorum cunctisque suis pertinentiis, quæ juris earum Ecclesiarum esse dinoscuntur, vel fuerint Deo donante, ob remedium, ut dictum est, animæ meæ et avunculi mei, ac parentum meorum, et ut memoria mei solemniter atque assidua in orationibus illic permanentium fratrum perenniter habeatur. Hoc modo itaque dono ut sit in obsequio atque regimine necnon et dominatione præfatæ Ecclesiæ Rivipulensis per sæcula, salva tamen obedientia, ac reverentia Gerundensis Ecclesiæ in curiis sinodalibus ac vetitis ejus observandis, et ut solito modo Episcopus, Archidiaconi, et clerici Gerundensis Ecclesiæ hospitia et justitias atque servitia clericorum illic existentium habeant, et inveniant. Siquis contra hanc nostram donationem ad irrumpendum venerit, non hoc valeat vendicare quod temerarie requisierit, sed tandiu anathematis vinculo subjaceat, Judæ proditoris particeps fiat, donec digne satisfaciat, et hæc carta sit stabilis atque inconvulsâ omni tempore permaneat. Facta carta donationis quarto Non. Novembris anno dominicæ incarnationis 1167. regni vero Ludovici junioris trigessimò primo. Guillelmus Dei gratia Gerundensis Ecclesiæ Episcopus, Pontius Dei dignatione Dertosensis Episcopus subscripsi. Petrus Ausonensis Episcopus subscripsi. Ego Hugo sanctæ Tarraconensis Ecclesiæ Archiepiscopus subscripsi. Berengarius sancti Felicis Abbas Tarraconensis electus subscribo, Bissullunensis probat hoc Levita Vilelmus atque sacerdos. Ego Guillelmus de Ficulneis subscribo. Arnallus Gerundensis Archidiaconus. J. de Cursavino Gerundensis Sacrista. Ego Petrus de Melano subscribo. Scripta libens ista Petrus confirmo Sacrista. Petrus de Monte acuto Levita. Berengarius de

Tolonico judex Impuritensis Archidiaconus. Bertrandus de Palerta. Ego Goufredus Gerundensis Ecclesiæ Præcentor subscribo. Raymundus Gerundensis Ecclesiæ Archilevita. S. Raymundi per Dei gratiam Gerundensis Episcopi. Ego R. de Rochabertino Abbas sancti Felicis confirmo. S. B. de Albutrandi Gerundensis Ecclesiæ Canonici. Scripta manu A. Presbyteri, et Monachi die et anno quo supra.

XLV.

*Acta consecrationis Ecclesiæ sancti Petri Campirotundi.
Ann. 1169. Ex archivo monasterii Campirotundi.*

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Anno MCLXVIII. ab incarnatione Domini, Idibus Novembris, regni Ludovici junioris Regis Francorum anno trigessimosecundo venerabilis Dominus Cuillelmus Gerundensis sedis Dei gratia Episcopus, et Dominus Pontius Dertosensis Episcopus venerunt ad consecrandum in honore sancti Petri monasterium in loco qui dicitur Campusrotundus. Est autem prædictum monasterium in comitatu Bisuldunensi, in præfato loco antiquitus fundatum. In die vero consecrationis concessit prædictus præsul præfato monasterio Ecclesiam sanctæ Mariæ quæ justa ipsum monasterium fundata est cum omnibus suis terris, et Ecclesiam sancti Christofori de Grexeturrio cum decimis et primitiis, et oblationibus, et terris suis, et Ecclesiam sancti Martini de Solamal similiter, et Ecclesiam sancti Nazarii cum suo alodio, et Ecclesiam sancti Jacobi de Poliger cum suo alodio, et Ecclesiam sancti Emeterii cum suis decimis, et primitiis, et oblationibus fidelium, et Ecclesiam sancti Andreæ de Oliveda cum decimis, et primitiis, et oblationibus suis. Præterea concessit dicto monasterio omnes regudes, vel qualescumque donationes, sive possessiones, vel acquisitiones quas præfatum monasterium habet, seu habere debet, vel deinceps justè adquisierit. Præfatum autem monasterium cum omni villa sua sub tali defensione, et securitate prædicti Episcopi cum

omnibus illis, qui dedicationi intererant, constituerunt ut aliquis homo cujuscumque sexus, conditionis, ordinis, dignitatis, vel ætatis ibi aliquam violentiam quocumque tempore non inferat, sed ob honorem, et reverentiam Dei, et Ecclesiæ salvo, et inviolabili munimine consistat. Præfatam vero donationem, et concessionem prædictus Gerundensis Episcopus facit salva in omnibus et per omnia obedientia, et reverentia Gerundensis sedis in omnibus prælibatis Ecclesiis.

XLVI.

Constitutio Guillelmi de Monellis anno 1173.

Equitatis ordo efflagitat et ratio deposcit ut qui seipsos exinaniunt amore scientiæ et corpora sua subdunt pluribus periculis, quatenus eorum necessitas in aliquo releveretur. Hinc est quod ego Guillelmus Dei gratia Gerundensis Episcopus communi conniventia et præcibus totius Capituli mei dono atque perpetue constituo, quod quicumque ex Canonicis Gerundensis Ecclesiæ causa discendi iter arripuit vel arripuerunt habeat vel habeant ex bonis canonicæ de unoquoque mense unum optimum aureum boni auri et bene pensî annuatim quandiu fuit vel fuerint in Scholas. Præpositi autem Gerundensis Canonicæ similiter persolvant XII. aureos cuilibet canonico vel quibuslibet canonicis Gerundensis Ecclesiæ eunti vel euntibus ad Scholas in principio itineris sui. Anno vero revoluto si canonicus Gerundensis vel canonici Gerundenses moram fecerit vel fecerint in Scholis, similiter XII. aureos habeant à Præpositis prædictæ Canonicæ: et sic fiat per singulos annos donec redeat vel redeant. Et dentur prædicti aurei optimi nuncio vel nunciis mandataris canonici vel canonicorum studentis vel studentium sine mora. Si vero aliqui ex canonicis studentibus infra tempus datæ, et acceptæ pecuniæ redierit, acceptum aureum vel acceptos aureos Præposito vel Præpositis restituant. Quod si facere contempserit, prebenda illorum mensium careat, de quibus pecuniam acceperat. Prædictam autem

constitutionem facimus, et omni tempore eam illesam manere volumus à nobis sucesoribusque nostris ac Gerundensis Ecclesiæ canonicis. Si quis vero, quod absit, contra hujusmodi constitutionem venire temptaverit anathematis vinculo percellatur et portio sua sit cum Juda traditore et peccet anima ejus de terra viventium, hac constitutione omni tempore firma firmiter persistente. Actum est hoc viij. Id^{us} Januarij anno xxx.vj. Regni Ludovici Regis Junioris. anno M.C.LXX. iij. ab incarnato Dei filio. = Guillelmus gratia Dei Gerundensis Episcopus. = Pontius Dei dignatione Dertusensis Episcopus. = Sig^{num} Arnaldus Bisuldunensis Archilevita. † Guillelmus Gerundensis Ecclesiæ Sacrista. † Raymundus Gerundensis Archilevita. † Guillelmus Gerundensis Precentor. † Berengarius Abbas S. Felicis. † Raymundus de Terradis Levita. † Ego Petrus de Malanno rogatus testis subscribo. Berengarius de Crudiliis. † Petrus de Montecuto, Levita. † Guillelmus Raymundi Presbiter. Arnaldus statoris. Gaucefredus Presbiter et Præpositus. Petrus Presbyter. Arnaldus de Villafedant, Presbyter et Canonicus. Arnulfus Presbyter de Constantinis. Petrus Presbyter et Sacrista. † Petrus de Pinedo Presbyter et Canonicus. Guillelmus Presbyter de Solgusta. Bernardus de Vianna Presbyter et Præpositus. Ego Gaufridus de Palafols rogatus testis subscripsi. Arnaldus de Rupeturva. Sig^{num} Guillelmi Sancti Stephani. † Gaufridus Levita de Midiniano. † Dalmacius de Montemarino. † Arnaldus de Far. † Berengarius Arnaldus de campomaiori. Berengarius de Colonico Judex. Sig^{num} Drogonis. Ego Magister Ricardus subscribo.

Jordanis Levita scripsit hoc cum literis emendatis, ij et viij linea die et anno † quo supra. Arnaldus rogatus translavit cum literis superscriptis in ij linea mense Julii.

XLVII.

*Councilum Gerundense I. septem Episcoporum, habitum Era
DLV. Anno Christi DXVII. Tempore Hormisdæ
Rom. Pont.*

1. De (1.) institutione Missarum, ut quomodo in Metropolitana Ecclesia (2.) fuerit, ita in Dei nomine, in omni Tarraconensi provincia, tam ipsius Missæ ordo, quam (3.) psalendi vel ministrandi consuetudo servetur.
2. De litania, (4.) ut expleta solemnitate Pentecostes, (5.) sequens septimana, à quinta feria usque in sabbatum, per hoc triduum, abstinentia celebretur.
3. Item (6.) secundæ litanix faciendæ sunt Kalend. Novembris; ea tamen conditione servata, ut si iisdem diebus Dominica intercesserit, in alia hebdomada, secundum prioris abstinentiæ observantiam, à quinta feria incipiantur, et in (7.) Sabbatho vespere Missa facta (8.) finiantur. Quibus tamen diebus à carnibus et à vino abstinendum decrevimus.
4. De cathecumenis baptizandis id statutum est, ut in Paschæ solemnitate (9.) vel Pentecostes, quanto majoris celebritatis major celebritas est, tanto magis ad baptizandum debeant baptizari: quibus quocunque tempore convenit baptismum non negari.
5. De parvulis vero, qui nuper (10.) materno utero editi sunt, placuit constitui, ut si infirmi (ut adsolet) fuerint, et lac maternum non appetunt, etiam eadem die qua nati sunt (si (11.) oblati fuerint) baptizentur.

(1) Ut institutio Missarum sicut in Metrop. Exc. (2) Agitur. Exc. (3) Psalendo, vel ministrando. Exc. (4) Desunt in Exc. (5) Sequenti septimana Exc. (6) Secunda litania faciendæ est. Exc. (7) Sabbati vespere. Exc. (8) Finiatur. Exc. (9) Vel Natalis Domini. in aliquibus Mis. (10.) E matern. Exc. (11.) Si allati. Exc. et Ivo.

6. De (12.) conversione vitæ id statuere placuit à Pontifice usque ad (13.) Subdiaconum, post suscepti honoris officium, (14.) si qui ex conjunctis fuerint ordinati, ut sine conjugē habitent: quod si habitare nolluerint, alterius fratris utatur auxilio, cujus testimonio vita ejus debeat clarior apparere.
7. De his vero qui sine (15.) conjugibus ordinantur, et familias (16.) domi habent, habito secum, pro (17.) vitæ conversatione fratre in testimonium, non per quamcumque fœminei sexus personam (18.) ejus substantia gubernetur: nisi aut per puerum, aut per amicum, suam domum (19.) debet ordinare. (20.) Si vero matrem in domo habuerit, aut sororem, secundum priorum canonum statuta, per earum personas ejus debet contutari substantia.
8. Si quis vero de laicis, post uxorem, aliam cujuscunque conditionis cognoverit mulierem, in clero nullatenus admittatur.
9. Is vero qui ægritudinis languore depressus, pœnitentiæ benedictionem (quam viaticum deputamus) per communionem acceperit, et postmodum reconvalescens caput pœnitentiæ in Ecclesia publice non subdiderit; si prohibitis vitiis non detinetur obnoxius, admittatur ad clerum.
10. Ita nobis placuit, ut omnibus diebus, post Matutinas et Vespertinas (1.) oratio Dominica à sacerdote proferatur.

Joannes (2.) in Christi nomine Episcopus, subscripsi.

(3.) Fortunianus in Christi nomine Episcopus, subscripsi.

Paullus in Christi nomine Episcopus, subscripsi.

Agritius in Christi nomine Episcopus, subscripsi.

(4.) Cinidius in Christi nomine Episcopus, subscripsi.

(12.) De conversatione Exc. (13.) Ad Subdiaconatum. Exc. (14.) Si quis ex conjunctis fuerit ordinatus, ut semper alterius fratris &c. Exc. (15.) Usoribus Exc. (16.) Domus. Exc. (17.) Pro conversationis fratre. C. A. (18.) Eorum. Exc. (19.) Debeant Exc. (20.) Nisi matrem, aut sororem in domo habuerint, ut secundum &c. Exc.

(1.) Vesperas. Exc. (2.) Desunt ubique. in Exc. (3.) Fortunianus. Exc. (4.) Emidius, alias Cinidius Episcopus subscr. Exc.

Nebridus in Christi nomine Episcopus, subscripsi.
 Orontius in Christi nomine Episcopus, subscripsi.

XLVIII.

Concilium Gerundense. II. Anno 1068. celebratum.

Descriptum illud est ex collectione ms. conciliorum Hispaniæ, Galiciæ, Africae et Orientis, quæ est in Ecclesia Cathedrali Gerundensi.

Synodus habita apud Gerundam, jussu Domini Alexandri Papæ, ubi sua vice præfuit Ugo Candidus, S. R. E. Cardinalis Præbyter, residente domno Guifredo Narbonensi archiepiscopo, cum ceteris Episcopis et abbatibus subterius comprehensis; à quibus constituta sunt hæc quæ infra continentur: anno Dominicæ incarnationis millesimo sexagesimo octavo; sub præsentia Domini Raymundi Barchinonensis Comitis, et domne Almodis Comitissæ: quorum cura et instantia hæc synodus congregata est.

1. In primis condemnauerunt ibi detestabilem simoniacam hæresim, non solum in graduum ordinibus, sed etiam in ecclesiasticis honoribus; videlicet ut non attribuantur muneris, vel obsequii sæcularis pretio; sed bonæ vitæ et sapientiæ merito. Itaque sicut turpis lucrum gratiæ prohibetur in capite sacerdotii, ita abdicetur à dicto clericali honoris corpore: sicque quod gratis accipitur, secundum Dominicam sententiam, gratis detur: ita ut nullus clericus, vel laicus vendat, vel emat ecclesiasticum honorem, et nullus teneat ecclesiastica ornamenta, qui sit laicus, neque sit inde sacrista, aut bajulus.
2. Deinde constituerunt ut ecclesia, quæ plus non habet de decimis, quarta pars ei redatur ad opus presbyterorum, et clericorum; et ut ex omnibus rebus quæ possidentur, tam de operibus manuum, quam ex agricultura, sed de molendinis, sive de hortis et arboribus, et ex omnibus animalibus primitiæ et decimæ reddantur.
3. Item excommunicando sanxerunt, ut incesti omnibus mo-

dis separantur: deinde habeant licentiam inuendi mē-
lioris conjugii.

4. Item constituerunt, ut illi qui suas uxores dimiserunt, et alias acceperunt, suas recuperent, si vivæ fuerint, et alienas dimittant. Et nisi hoc fecerint, sint ita excommunicati, tam incesti, quam isti, et nullus Christianus eis Ave dicat, nec cum eis manducet, neque bibat, in Ecclesia simul non orent; si infirmati fuerint, non visitentur, nisi pro satisfactione; et si mortui fuerint sine pœnitentia et comunione, non sepeliantur.
5. Item judicaverunt de clericis arma ferentibus, ut arma dimittant, et quæque illicita cum eis commiserint, digne defleant. Quod si agere nolluerint, de choro exeant, et canonicam perdant, et omne Beneficium Ecclesiæ amittant. Si vero hæc relinquere nolluerint, prædictæ sententiæ de incestis subjaceant.
6. Clerici, si lectores fuerint et uxores duxerint, in lektoratu permanent in choro; sed non in congregatione canonica.
7. A presbytero usque ad subdiaconum, si uxorem duxerint, aut concubinam retinuerint, de clero exeant, et omne beneficium ecclesiasticum perdant, et cum laicis in Ecclesia permaneant. Quod si innobedientes fuerint, sententiam de incestis incurrant.
8. Illi autem qui uxores et arma dimisserint, securi, et quieti, et sine ullo pavore permaneant. Nullus res eorum diripiat, nec eis aliquam injuriam faciat, sed ipsi et res eorum sint in pace, et treuga Domini per omnes dies.
9. Clerici et Monachi alterius regionis non recipiantur sine commendatitiis litteris sui Pontificis.
10. De usurariis Clericis, aut de ministris laicorum, id fuit statutum: aut desinant, aut deponantur.
11. Clericus à majore ordine usque ad minorem, non sit aleator, neque venator.
12. Ad finem hujus denuntiamus capituli, ut illi persistent in supradicta excommunicatione, qui prædia canonicarum seu monasticarum diripiunt congregationum.

13. De terris vero seu possessionibus ecclesiastici juris, quæ ab Episcopo seu à clero laicis hominibus dantur, sanctientes statuerunt, ut post obitum Episcopi, abbatis, aut clerici, qui illas dedisse dinoscitur, libere et solide revertantur ad Ecclesiam, cujus domini easdem fuisse constiterit, cum injustum est eorum post mortem quoquo pacto exequi dationem; qui non valent prælibatas res ecclesiæ dimittere per successionem. Nec à laicorum filiis, heredibus, sive successoribus, possessiones Ecclesiæ post mortem parentum vel propinquorum, quamvis ab eisdem parentibus longe possessas illorum voce censuerunt juste unquam potuisse repeti, aut eas sequi, quia res Deo dicatæ non debent à laicis hereditario jure possideri.

14. De terris autem, quas à Christicolis detestanda Judæorum emit, aut emerit perfidia, statuerunt, ut omnis decimatio earum, ita illi daretur Ecclesiæ in cujus parochia ædem terræ sint vel fuerint, quemadmodum si à Christianis colerentur; quoniam injustum est ecclesiam eas decimas amittere, vel amississe, quas constat, antequam Judæi huc advenirent, habuisse. Qua propter unde amittit primitias et oblationes, saltem exinde habere deberet decimaciones.

Hugo Candidus, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Presbyter et Legatus, his synodalibus gestis vice domini mei Papæ subscripsi.

Guifredus Narbonensis Archiepiscopus subscripsi.

Guillermus Auxensis Archiepiscopus subscripsi.

Berengarius Gerundensis Episcopus subscripsi.

Guillermus Urgellensis episcopus subscripsi.

Guillermus Ausonensis episcopus subscripsi.

Berengarius Agathensis episcopus subscripsi.

Salomon Rotenensis episcopus subscripsi.

Guillermus Conveniensis episcopus subscripsi.

Seguinus Monachus et presbyter, agens vices Durandi Tolosani episcopi subscripsi.

Gubertus Clericus, agens vices Uzeticensis episcopi subscripsi.

Frotardus Tomeriensis Abbas.

Dalmatius Crassensis Abbas.

Andreas S. Cucufati, Abbas.

(1). Renardus sancti Martini Caniogeniensis Abbas.

Oliba S. Petri Galli-cantus Abbas.

Amatus S. Salvatoris Bredensis Abbas.

Item prælibatus Cardinalis cum præfatis Episcopis, seu Abbatibus, sive principibus, ac totius terræ magnatibus confirmavit, necnon et laudavit pacem et treugnam Domini, sicut erat appensa in Episcopatu Gerundensi: et addidit in eadem treuga Domini, consensu omnium atque jussu, ut parimodo teneretur à Dominica octavis Paschæ usque ad octo dies post Pentecostem.

Siquis vero innobediens fuerit his prædictis constitutionibus, aut transgressor earum, excommunicationis anathemati subiaceat, quoadusque respiscat, et satisfaccionem inde canonicè (2) veniat.

XLIX.

Concilium Bisuldunense, vel potius Bernardi Comitis de eo Epistola.

In nomine eterni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi Presidente Romane Ecclesie Venerabile Papa Gregorio VII. Ego Bernardus Bisundunensium Comes in citeriori Hispania, videns exterminationem Symonis Magi quam operabatur Amatus Olerensis Episcopus et Sancte Romane Ecclesie Legatus in nostris partibus magno repletus gaudio grates egi omnipotenti Deo et Sancto Petro. Ideoque Concilium quod Guifredus Archiepiscopus dictus turbabit Gerunde suscepe VIII. idus Decembris in Castrum meum Bisundunum ut ibi predictus Legatus libera voce preciperet et precipiendo excommunicaret quod secundum Canones excommunicandum erat. Ex qua re multos mortales habui ad-

(1) Fortè, Raynaldus. (2) Fortè, reddat.

versos, non solum Episcopus et Abbates sed et Comites. Affuerunt in eodem Concilio Bisindunensi, Episcopi Agatensis, Elenensis, Carcasonensis, et plures Abbates à quibus omnibus excommunicatus ille anticus hostis Narbonensis, et Abbates Symoniaci penitus eradicati de meo Comitatu. Ibi etiam plurima sunt acta que hic non continentur. Expulsis itaque Abbatibus Symoniacis alios ibi subrogavi Abbates consilio et auxilio ejusdem Legati secundum regulam Beati Benedicti ad divinum servicium peragendum. Pro anima autem mea et parentum meorum censum in is omnibus constitui ad Opus Beati Petri quarum nomina infra continentur : Abbatia de Arulis V. solidos quodtannis, Abbatia de Campo-Rotundo V. solidos, Abbatia de Bisunduno V. solidos, Abbatia de Balneolis V. solidos, canonica de Bisunduno II. solidos, Abbatia Sancti Laurentii V. solidos, Abbatia Sancti Pauli V. solidos. Si vero Ego (quod absit) vel posteritas mei generis vel aliqua malitiosa potestas ibi voluerit Abbatem irregularem vel Simoniacum constituere jus sit Romane potestatis excommunicare et projicere eum summo dedecore, et qui contra hoc resistere voluerit damnatus et excommunicatus sit ipse sicut Symon Magus, et sepultura ejus sicut asini cujus cadaver canibus et avibus projicitur. Preter hoc autem, ut Sanctus Petrus me habeat peculiarem Militem censum sibi mee milicie constituo singulis annis C. mancos aureos et ut meus filius idem faciat post mortem meam vel quicumque meum honorem habuerit. = Factum est hoc Privilegium in Concilio Bisundunensi VIII. Idus Decembris anno Nativitatis Christi M.LXX.VII. Indiccione prima. = Ego Bernardus Comes Bisundinensium laudo et firmo.

Este Documento se custodiaba antiguamente en el Armario 4 de Gerona saco E. n. 383. que corresponde en el dia al n. 25. de la Coleccion de las Escrituras en pergamiño del tiempo del Conde D. Ramon Berenguer II.; y tambien se halla trasladado autenticamente al fol. 28. buelto del tomo V. de traslados de las Escrituras del IX. y X. Conde.

L.

*Synodus Gerundensis III. celebrata temporibus Gregorii Papæ,
instante Episcopo Amato ejus Legato. Anno 1078.*

*Eruit ex M. S. Gerundensi illustrissimus Dominus Josephus
de Taverner d' Ardenne canonicus Barchinonensis.*

Anno dominicæ incarnationis septuagessimio octavo post millesimum convenit in Gerundensem ecclesiam sancta synodus Episcoporum, vel Abbatum, ubi vice Domini Gregorii Papæ præfuit Amatus Episcopus sanctæ Romanæ Ecclesiæ legatus, à quo cum cæterorum connibentia sunt plurima sancita secundum canonum decreta, de quibus referantur pauca, ne nostri decendant memoria.

1. Primitus enim constituit, de iis qui asistunt altari in ministrando corpore et sanguine Domini, videlicet sacerdotibus, levitis, sive subdiaconis, et qui in clero deputati excellentiori devoverunt se vitæ, ut in nullo contubernio communicentur mulieribus. Si quis verò de cætero palam nupserit, vel concubinam duxerit, gradus sui et honoris periculo subjaceat, et à choro exeat, quoadusque canonicè satisfaciat.
2. Item decernit ut nullus episcoporum aliquem clericum in ecclesia sua audeat per pecuniam sublimare, sive promovere, vel ecclesiasticos honores vendere. Ille vero qui emerit, non solum sit alienus à dignitate quam pecuniis acquisivit, sed etiam proprio gradu, et excommunicationi succumbat, donec quod (forte male) malum obtinuit, dimittat.
3. Item promulgavit quod nullus presbyterorum, diaconorum subdiaconorum filius in eadem ecclesia possideat paternos honores.
4. Item quod clericorum filii ad altiores gradus non promoveantur: in acceptis autem gradibus maneant, nisi vita illis obstiterit.
5. Item filii clericorum tam laici, quam clerici nullo modo

possideant ecclesiasticos honores, quos patres eorum pro beneficio ecclesiæ habuerunt, vel retinuerunt, qui prætermiserit, excommunicetur.

6. Decrevit etiam ut clerici arma deferentes, nisi dimiserint arma, sint alieni à corpore et sanguine Domini, et ab ingressu totius ecclesiæ, et christianorum sepultura, et omni communione ecclesiastica, numquam amplius in Christi ecclesia ad majores honores sive gradus, si rebelles stiterint sublimandi.
7. Item constituit ne Clericus barbam vel comam nutriat, vel coronam capitis abscondat, non radendo, vel parvam faciendo tanquam erubescens quod in hereditaria Christi sorte sit electus, neque ulterius induat militaria indumenta diversis variata coloribus.
8. In consanguinitate conjuncti, nisi digna satisfactione separetur, separati ab ecclesia et corpore Christi maneant.
9. Concubinarii vero, et usurarii nisi resipiscant excommunicentur.
10. Sanxerunt etiam ut omnium terrarum decimatio, quam execranda infidelium Judeorum sævitia excolebat, ita illi exhiberetur ecclesiæ in cujus parochia eedem terræ sitæ essent, quemadmodum si à christianis colerentur.
11. Item statuerunt, ut si quæ ecclesiæ per pecuniam essent consecratæ, vel à simoniaco, à legitimo canonice consecrentur episcopo. Si qui etiam clerici pecuniam præbendo, vel à simoniaco sunt ordinati, eodem modo à catholico ordinentur episcopo. Non enim in iis fit reiteratio, sed ipsa consecratio, quoniam nihil præcesserat, quod ratum haberi queat.
12. Clerici autem alterius regionis non recipiantur sine proprii pontificis literis.
13. Scimus quidem laicis ecclesias non competere, sed ubi illæ ex toto auferri non possunt, saltem oblationes Missarum, aut altaria seu primitias laicis omnino prohibemus. De cimeteriis autem et sepultura et baptisteriis, exactionem fieri prohibemus.

Amatus episcopus sanctæ Romanæ ecclesiæ legatus, his syno-

dalibus gestis vice Domini mei Papæ subscripsi.
 Berengarius Gerundensis Episcopus subscripsi.
 Berengarius Ausonensis Episcopus subscripsi.
 Raymundus Elenensis Episcopus subscripsi.
 Raymundus Rotensis Episcopus subscripsi.
 Humbertus Barchinonensis Episcopus subscripsi.
 Guillelmus Conveniensis Episcopus subscripsi.
 Fulco Archidiaconus agens vices Urgellensis Episcopi subscripsi.

LI.

*Conventus Episcoporum apud Gerundam pro constituenda
 nova Militia adversus Sarracenos ad defendendam Occi-
 dentalem Ecclesiam. Anno Domini N. f. C. 1143.*

Divinæ inspirationis gratia et ratio pietatis monet filios
 Ecclesiæ summa intentione providere salutis animarum, et
 libertati catholicæ ecclesiæ. Eapropter Ego Raymundus
 Berengarii Comes Barchinonensis, et gratia Dei regni do-
 minator Aragonensis virtute Spiritus Sancti commotus, et
 cœlestis militiæ potentia ad defendendam occidentalem
 Ecclesiam, quæ est in Hispaniis, ad deprimendam et de-
 belandam et expellendam gentem Maurorum, ad exaltan-
 dam sanctæ Trinitatis fidem et religionem, ad exemplum
 militiæ templi Salomonis in Hierusalem, quæ orientalem
 defendit Ecclesiam, in subjectione, et obedientia illius, se-
 cundum regulam, et ejusdem militiæ statuta beatæ obe-
 dientiæ militiam constituere decrevi. Quod jamdiu summo
 et bonæ mentis desiderio desideraveram, et ad hoc vene-
 rabilem Robertum magnæ excellentiæ magistrum Hieroso-
 limitanæ militiæ, et ceterorum fratrum conventum per lit-
 teras et internuncios meos sæpe, et diligenter invitaveram.
 Huic autem desiderio meo ac petitioni præfatus Robertus
 magister, et omnium fratrum conventus in capitulo fratrum
 militiæ in Hierusalem Dei gratia adquieverunt, et unanimiter
 consenserunt et per litteras ac fratres ejusdem templi bonæ

voluntatis eorum decretum atque consilium de constitutione Christi militiæ in Hispaniis adversus Mauros misericorditer renuntiaverunt. Idcirco ad exaltandam Christi Ecclesiam, ad exercendum officium militiæ in regione Hispaniæ contra Sarracenos, in remissionem peccatorum meorum, ad honorem Dei, qui honorat honorantes se, ad salutem animæ patris mei, qui fuit miles, ac frater sanctæ jam dictæ militiæ, in cuius regula, et habitu gloriose vitam finivit, tibi Roberte præfata militiæ venerande magister et successoribus ac fratribus tuis omnibus dono atque concedo, et in manu vestra per hanc presentem scripturam potentialiter trado castrum totum quod dicitur Monzon, Mons gaudii, ut per alodium proprium ea teneatis, et habeatis ac jure perpetuo possideatis vos et omnes vestri successores per sæcula cuncta cum omnibus territoriis et pertinentiis et terminis eorum vel infra existentibus et cum omnibus usaticis, ac consuetudinibus suis, cum omnibus leudis et passatiis, cum omnibus cultis vel incultis, cum planis et montanis, cum pratis et pascuis, et omnibus ad prædicta castra pertinentibus, omnia in omnibus, sicut melius et utilius ad honorem Dei, ac supradictæ militiæ voluntatem inteligi valeat, sine aliquo retentu, quem aliqua persona ibi non habeat. Eo quoque modo dono vobis castrum quod dicitur Chalomera et Barbaranum cum territoriis ac pertinentiis, et terminis eorum, et cum omnibus ad jam dicta castra pertinentibus, sine ullo retentu alicujus personæ, et honorem Lupi Sancii de Belchit, sicut ex hoc cum prædicto Lupi Sancio convenire poteritis, et castrum totum quod dicitur Remolius cum omnibus sibi pertinentibus, quando divina clemencia illud tradiderit in meam potestatem, et totum quod habere debeo in Castro Corbins cum mihi Deus illud dignatus fuerit redere. Prædicto etiam modo addo vobis omne decimum totius terræ meæ, videlicet omnium reddituum et censuum meorum tam de expletis quam de omnibus consuetudinibus rectis, et de justitiis de quibus decimum accipere volueritis, et mille solidos in Hosca, et mille

solidos in Cæsaraugusta quotannis. In omnibus vero caval-
catis, vel expeditionibus Hispaniæ de vestris scilicet homi-
nibus quintas vobis in perpetuum dimitto, et dono. Si for-
te aliquid de honore meo dare vel vendere, vel impigno-
rare contigerit, decimum vestrum salvum, et liberum vo-
bis remaneat. De omnibus siquidem, quæ Deo juvante jus-
te conquirere potero, decimum quiete et libere vobis con-
cedo, et de conquisitione terræ Sarracenorum quintam par-
tem vobis concedo, et decimum totum ex iis quæ parti meæ
pertineant. Quod si castellum aut fortitudinem contra Mau-
ros ædificare, aut construere volueritis, opem et consilium
meum per omnia vobis diligenter attribuam. Convenio ite-
rum vobis, et dono in potentia cœlesti et fortitudine Christi
me ulterius pacem non facturum cum Mauris, nisi vestro
consilio. Prænominata siquidem omnia devoto animo, et
spontanea voluntate cum omni integritate omnipotenti Deo
et vobis prædictæ militiæ Roberto magistro et fratribus tam
præsentibus quam futuris dono et concedo et de meo jure
in vestrum ea trado, potestatem atque dominium, Regi Deo
gratias agens qui vos ad defensionem Ecclesiæ suæ elegit,
ac nostris precibus annuere fecit. Dono vobis iterum atque
concedo quod de vestra propria causa per totam terram
meam nulla leuda, nulla consuetudo, nullum passaticum
accipiatur. Si qua autem ecclesiastica secularisve persona
præsentem donationis scripturam in aliquo vel in toto dimo-
veri tentaverit, et iram omnipotentis incurrat, et tandiu
excommunicationis vinculo innodetur, donec digne de tan-
to reatus excessu satisfaciat. Quod est actum quinto Kalen-
das Decembris apud Gerundam, domino Guidone sanctæ
Romanæ Ecclesiæ Cardinali Diacono et Legato celebrante
conventum in præsentia omnium subscriptorum testium,
anno dominicæ incarnationis 1143. Notum autem sit, quod
hæc præsentis donatio facta fuit in manu domini Ebrardi Ma-
gistri Galliæ, et in manu venerabilis Petri de Rovera Ma-
gistri Provinciæ et cujusdam partis Hispaniæ, et in manu
fratris Otthonis sancti Ordonii, et fratris Hugonis de Le-

zuns, ac fratris Petri de Arzacho, et fratris Berengarii de Eguinnoles ac fratris Arnaldi de Sorcia. Quod autem de decimis superius statutum est, ita etiam firmamus sicut superius legitur, salva in omnibus donatione quæ Ecclesiis facta est. S. Raymundi, Comes. S. Bernardi Cæsaraugustani Episcopi. S. Dodonis Hoscensis Episcopi. S. Raymundi Dei gratia Ausonensis Episcopi. S. Guillelmi Rotensis electi. S. Guillelmi Præpositi Rivipullensis. S. Gregorii electi Tarraconensis Archiepiscopi. Berengarius Dei gratia Gerundensis Ecclesiæ Episcopus. Guillelmus Cæsaraugustanensis Sacrista. Petrus Rivipullensis Abbas, salvo jure sanctæ Mariæ. S. Renalli magistri Gerundensis Ecclesiæ. Berengarius sancti Felicis Abbas. S. Petri Barchinonensis Episcopi. Petrus Sacrista Barchinonensis. S. Guillelmi Sacristæ Rotensis. S. Arnalii Mironis Comitis Pallariensis. S. Bernardi de Comingo Comitis. S. Petri Comitis Bigorræ. S. Guillelmi Raymundi Dapiferi. S. Gauzerandi de Pinos. S. Bernardi de Bello loco. S. Bertrandi de Bello loco. S. Bernardi Petri de Bello loco. S. Raymundi de Podio alto. S. Guillelmi de Cervera. S. Raymundi de Torroja. S. Raymundi Berengarii de Ager. S. Bernardi Bernardi Guillermi de Luciano. S. Guillelmi Raymundi de Villa de Mulls. S. Berengarii de Torroja. S. Abbatis Fortunii montis Aragonum: S. Pontii clerici Barchinonensis scriptoris Comitis Barchinonensis, qui hoc scripsit. Signum Idefonsi Regis Aragonensis Comitis Barchinonæ, et Rosillionis, et Marchionis Provinciæ, qui totum prædictum donatum quod pater meus dedit militiæ templi laudo et confirmo, et de his omnibus, quæ in præsentia habeo vel in futurum Deo annuente acquirere potuero dono et concedo militiæ templi si jam dictæ eodem modo, quo Pater meus Comes Barchinonensis dedit, sicut superius scriptum est. Testes sunt hujus donationis, et confirmationis Petrus Cæsaraugustanus Episcopus, et Johannes Tirasonensis Episcopus, et Berengarius Abbas Montis Aragonum, et Petrus de Araguri, et Petrus de Castulasol, et Blacus Romeus, Ximenus de Artusella Major domus, et Goncalus Capellanus, Alferixet Marchio de Hosca, et Pe-

trus Ortiz, et Exemenus Romeus, et Dodo de Alcala, et ego Sancius de Petra rubea, qui hoc scripsi, præcepto Domini Regis apud Cæsaraugustam mense Agusti æra millesima ducentesima. S. Raymundi Berengarii Comitis Provinciæ fratris Domini Regis.

LII.

Petri primi Regis Aragonum constitutio adversum hæreticos. Ann. 1192. Ex Archivo Ecclesiæ Gerundensis.

Petrus Rex Aragonum et Comes Barchinonæ universis Archiepiscopis, Episcopis, et cæteris Ecclesiarum Dei prælatis atque rectoribus, Comitibus, Vicecomitibus, Vicariis, Merinis, Bajulis, Militibus, Burgensibus omnibus que populis in regno et potestate nostra constitutis salutem, et integram christianæ religionis observantiam. Quoniam Deus populo suo nos præesse volluit, dignum et justum est ut de salvatione et defensione ejusdem populi continuam pro viribus geramus sollicitudinem. Quapropter præcedentium meorum patrum in fide imitatores, sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ canonibus obtemperantes qui hereticos à consortio Dei, et sanctæ Ecclesiæ, et catholicorum omnium exclusos ubique damnandos ac persecuendos censuerunt, Valdenses scilicet, qui vulgariter dicuntur Sabatati, qui et alio nomine se vocant pauperes de Lugduno, et omnes alios hæreticos quorum non est numerus, nec nomina sunt nota, à sancta Ecclesia anathematizatos, ab omni regno, et potestativo nostro tamquam inimicos Crucis Christi, Christianæque fidei violatores, nostrosque etiam regni nostri publicos hostes exire, ac fugere districtè, et irremediabiliter præcipimus. Et sub eadem districtione Vicariis, Bajulis, et Merinis totius nostræ terræ, ut ad exeundum eos compellant usque ad Dominicam Passionis Domini mandamus. Etsi post tempus præfixum aliquis in tota nostra terra eos invenerit, duabus partibus rerum suarum confiscatis, tertia sit inventoris, corpora eorum ignibus crementur. Eidem mandato fortiter adjicientes ut dicti Vicarii, Bajuli,

Merini, castelanos, et castrorum dominos qui eos in castris suis, et de omni terra sua in villis recipiunt, moneant ut de villis et castris suis, et de omni terra sua infra triduum post ammonitionem suam omni postposita occasione ejciant, et nullum prorsus subsidium eis conferant. Quod si monitis eorum acquiescere noluerint, omnes homines villarum seu Ecclesiarum, vel aliorum locorum religiosorum in diocesi illius Episcopi constituti in ejus territorio idem castelanus, ac dominus castri vel villæ fuerit ex mandato et auctoritate nostra regia sequantur Vicarios, Bajulos, et Merinos nostros illius Episcopatus super castra et villas eorum et super loca ubi inventi fuerint, et de damno quod castelanis seu dominis castrorum vel villarum aut receptoribus dictorum nefandorum dederint, nullatenus teneantur. Sed si sequi eos nolluerint, ex quo eis denunciatum fuerit, ultra iram, et indignationem nostram, quam se noverint incururos, viginti aureos pro pœna singuli eorum, nisi juste, et legitime se excusare potuerint, nobis præstabunt. Si quis igitur ab hac die et deinceps prædictos Valdenses seu Sabatatos aliosve hæreticos cujuscumque sectæ in domibus suis recipere, vel eorum funestam prædicationem aliquam audire aut eis cibum aut aliud aliquid auxilium largiri, vel eis credere, eosve defendere, aut in aliquo assensum prebere præsumperit, indignationem omnipotentis Dei, et nostram se noverit incursum, bonisque suis absque appellationis remedio confiscandis, se tamquam reum criminis læsæ majestatis puniendum. Hoc autem nostrum edictum et perpetuam constitutionem per omnes civitates, castella, et villas regni nostri, et dominationes, ac per omnes terras potestati, seu jurisdictioni nostræ subjectas omnibus dominicis diebus per omnes parrochiales Ecclesias recitari jubemus, et ab Episcopis, cæterisque Ecclesiarum rectoribus, atque Vicariis, Bajulis, Justitiis, Merinis, et omnibus populis inviolabiliter observari, et prædictam pœnam transgressoribus inferendam irrevocabiliter mandamus. Sciendum etiam quod siqua persona nobilis aut ignobilis aliquem vel aliquos prædictorum nefandorum in aliqua parte regio-

num nostrarum invenerit quodcumque malum, dedecus, et gravamen, præter mortem et membrorum detruncacionem, intulerit, gratum et acceptum habebimus, et nullam inde pœnam pertimescat, quoquo modo incurrere, sed magis ac magis gratiam nostram se noverit promereri, et post bonorum spoliacionem, dedecus et gravamen quod eis irrogaverint, teneantur tradere corpora Vicariis, aut Bajulis nostris ad justitiam quam inde fieri mandavimus exequendam. Si vero, quod non credimus, Vicarii, Bajuli, Merini, et totius terræ nostræ homines vel populi circa hoc regiæ nostræ dignitatis mandatum negligentes, vel desides extiterint, seu contemptores vel transgressores inventi fuerint, bonorum omnium confiscacione procul dubio mulcabitur, et eadem pœna corporali qua nefari plectentur. Ad ultimum omnibus prædictis Vicariis, Bajulis et Merinis nostris præsentibus et futuris firmiter injungimus ut post admonicionem, vel literarum receptionem illius Episcopi, aut ejus nuntii in cujus diocesi fuerint constituti, infra octo dies ad ejus accedant præsentiam, et tactis sacrosanctis, corporaliter evangeliiis, ea quæ superius fieri mandavimus, jurent fideliter se in perpetuum observaturos. Quod si facere noluerint, præter iram, et indignacionem nostram pœna ducentorum aureorum feriantur. Data Gerundæ in præsentia Raymundi Tarraconensis Archiepiscopi, Gaufridi Gerundensis Episcopi, Raymundi Barchinonensis Episcopi, Guillelmi Ausonensis Episcopi, et Guillelmi El-nensis Episcopi, per manum Johannis Beaxnensis Domini regis Notarii, et mandato ejus scripta anno Domini millesimo centesimo nonagesimo septimo. Hujus edicti, et perpetuæ constitutionis testes sunt Pontius Ugo Comes Empuritanensis, Guillelmus de Cardona, Gaufridus de Rocca-bertino, Raymuñdus de Villa Mulorum, Raymundus Gaucerandi, Bernardus de Portella, Guillelmus de Granata, Petrus Latronis, Eximinus de Lusia, Michael de Lusia, Guillelmus de Cervaria, Petrus de Torricella, Arnaldus de Salis, Petrus Ausonensis Sacrista, Berengarius de Palacio-Barcinonensis Sacrista, et Guillelmus Durfortis.

LIII.

Pœnitentium reconciliatio juxta antiquam Ecclesiæ Gerundensis Consuetudinem. Ex Libro benedictionum Pag. 77.

Hora nona decantata, sit Episcopus indutus alba stola, cappa, et duo archidiaconi cum eo in albis stolis sine dalmaticis, et subdiaconus unus et acoliti duo simul in albis et cum cruce et candelabris accensis, et cum aqua benedicta: et Episcopus veniat cum illis et cum omni clero usque ad portas Ecclesiæ nichil dicendo. Stentque præsentés ibi extra ipsas januas Ecclesiæ Pœnitentes qui reconciliandi sunt. Sintque cum illis Sacerdotes eorum, qui de conversatione et emendatione vitæ ipsorum pœnitentium, et si digne pœnitentiam sibi injunctam pro totis viribus suis observaverint, et si etiam ipsi Sacerdotes ad hoc ex officii sui debito sollicitè vigilaverint Episcopo verum testimonium ferant. Dicatque unus Archidiaconus excelsa voce stans extra portas Ecclesiæ cum pœnitentibus:

Adest, O venerabilis Pontifex, tempus acceptum, dies propiciationis divinæ et salutis humanæ quo mors interitum et vita æterna accepit principium: quando in vineam Domini Sabahot sic novorum plantatio facienda est, ut purgetur execratio vetustatis. Quamvis enim ad viam bonitatis et pietatis Dei nichil temporis vacet, nunc tamen largior per indulgentiam est remissio omnium peccatorum, et copiosior per gratiam assumptio renascentium. Augemur regenerandis; crescimus reversis. Lavant aquæ, lavant lacrimæ. Inde est gaudium vocatorum: hinc lætitia de absolutione pœnitentium. Inde est quod suplices tui postquam in varias criminum formas, neglectum mandatorum cælestium et morum probabiliū transgressione ceciderunt, humiliati atque prostrati prophetica voce clamant dicentes: Pæccavimus cum patribus nostris, injuste egimus, iniquitatem fecimus: Miserere nostri, Domine, miserere nostri; et evangelicam vocem non frustra aure capientes: Beati qui

lugent, quoniam ipsi consolabuntur, manducaverunt sicut scriptum est panem doloris; lacrimis stratum rigaverunt, cor suum luctu corpus suum afflixerunt jejuniis, ut animarum reciperent quam perdididerant sanitatem. Unicum itaque est pœnitentiæ suffragium, quod et singulis prodest, et omnibus in commune succurrit.

Hoc finito stet Episcopus in hostio Ecclesiæ et faciat exortationem ad pœnitentes. Sed quia dies hæc per ipsa hodierna opera medicinæ nostri redemptoris, quæ nobis Evangelica lectio representat dies est remissionis et gratiæ, ipsis ingemiscentibus et magnis lacrimis et profundis suspiriis morum emmendationem promitentibus, pœnitentiæ pondus usque in octavas Pentecostes misericorditer relaxet, et dicat hanc Antiphonam cum cantu. Venite, venite, venite filii, et Chorus respondeat: Audite me, timorem Domini docebo vos. Et Diaconus ex parte pœnitentium dicat; Flectamus genua. Deinde dicat alter Diaconus: Levate. Et secundo repetat Episcopus: Venite, venite, venite filii: Et chorus: Audite me, timorem Domini docebo vos. Et Archidiaconus: Flectamus genua: Et alter: Levate. Et Episcopus: Venite, venite, venite filii: Et Chorus: Audite me, timorem Domini docebo vos. Et Archidiaconus: Accedite ad eum et illuminamini, et facies vestræ non confundentur. Quo finito dicat clerus divisus per chorum justa Episcopum totum psalmum: Benedicam Dominum in omni tempore; et interim dum psalmus iste cantatur pœnitentes corruant ad pedes Episcopi, sicque prostrati jaceant, quoadusque psalmus finiatur. (in margine: hic aquam benedictam spargat) quo dicto innuat Episcopus alteri Diacono dicente: Levate: et statim surgant pœnitentes, et dum offeruntur Episcopo à presbyteris suis ut eos ipse matri Ecclesiæ reconciliet, accipiat unum ex ipsis pœnitentibus, et interroget suum presbyterum dicens: Dignus est reconciliari? (Cum cantu). Presbyter: Dignus. Et dicat Episcopus: Tecum maneat: et det pœnitenti pacem dicens: Pax tecum. Es postea ab ipso pœnitente cæteri similiter omnes pœnitentes osculum pacis accipiant. Et statim Episcopus interrøget iterum universa-

liter omnes reliquos Sacerdotes de singulis suis propriis pœnitentibus dicens: *¶ Digni sunt reconciliari? R. Presbyteri: Digni. Et dicat eis Episcopus: Vobiscum maneant. Et sic intrent omnes in Ecclesia Cantore incipiente hanc Antiphonam: Cor mundum. Cum psalmo Miserere mei Deus. Alter psal. Miserere mei Deus quoniam conculcavit. Alter psalm. Miserere mei Deus, miserere mei. Postquam autem omnes reconciliandi in Ecclesia fuerint introducti, Episcopus ante altare prosternatur cum ministris suis et pœnitentibus. Finitis vero prædictis psalmis cum antiphona, dicatur Kirieeïlison, et Pater noster. Et Episcop. Domine non secundum peccata nostra &c. R. Neque secundum &c. Domine ne menineris iniquitatum &c. R. Cito anticipent nos &c. Oremus. Adesto Domine supplicationibus nostris, et me, qui etiam medicina tua, primus indigeo, clementer exaudi; et quem non electione meriti, sed dono gratiæ tuæ constituisti operis hujus ministrum, da fiduciam tui muneris exequendi, et ipse in nostro ministerio quod tuæ pietatis est, operare. Per &c. Oratio ad reconciliandum. Præsta quæsumus, Domine, famulis tuis pœnitentiæ fructum, ut Ecclesiæ tuæ à cujus integritate deviarant peccando, admissorum reddantur innoxii veniam consequendo. Per &c. Alia. Deus humani generis benignissime conditor et misericordissime reformator, qui hominem invidia diaboli ab æternitate dejectum unici filii tui sanguine redemisti, vivifica hos famulos tuos quos tibi nullatenus mori desideras, et qui non derelinquis devios, assume correctos. Moveant pietatem tuam, quæsumus Domine, horum famulorum tuorum lacrimosa suspiria. Tu eorum medere vulneribus. Tu jacentibus manum porrige salutarem, ne Ecclesia tuâ aliqua corporis sui portione vastetur, ne grex tuus detrimentum patiatur, ne de familiæ tuæ dampno inimicus exulteret, ne renatos lavacro salutari mors secunda possideat. Tibi ergo Domine supplices præces, tibi fletum cordis effundimus. Tu parce confitentibus, ut sic in hac mortalitate peccata sua te adjuvante defleant, qualiter in tremendi judicii die sententiam æternæ damnationis evadant,*

et nesciant quod terret in tenebris, quod stridet in flammis, atque ab erroris via ad iter reverssi justitiæ, nequaquam ultra vulneribus saucientur, sed integrum sit eis atque perpetuum et quod gratia tua contulit, et quod misericordia tua reformavit. Per eundem &c. Alia oratio. Majestatem tuam supplices deprecamur, omnipotens Deus, ut his famulis et famulabus tuis longo squalore pœnitentiæ miceratis miserationis tuæ veniam largiri digneris, ut nupciali veste recepta ad regalem mensam unde ejecti fuerant mereantur introire. Per &c. Ultima, ut in ordine recommendationis vel in extremaunctione.

LIV.

Necrologium Gerundense ex Adonis Martyrologio Sæculo XI. exarato et in Ecclesia Gerundensi asservato, de- sumptum, posteriorique manu additum.

- III. Idus Januarii. Eodem die obiit Berengarius Terrachonensis Archiepiscopus anno MXCIX.
- III. Kal. Martii. Eodem die obiit Raymundus Comes anno dominice trabeationis XVI. post M.
- II. Kalend. Mart. Eodem die obiit Sendedus Archipresbyter anno DCCCC.LXVI.
- XV. Kal. Maii. Eodem die obitum Arnulphi illustrissimi Episcopi Gerundensis anno Domini DCCCC.LXX. qui rexit Ecclesiam ann. XV. mens. VII. dieb. et VII. f. anno XV. quod sumpsit Lotharius rex francorum exordium.
- IX. Kal. Maii. Eodem die anno C.XI. post millesimum obiit Ermengaudus Elenensis Præsul.
- VIII. Kal. Junii Anno incarnationis Dominicæ LXX.VI. post millesimum, era M.C.XIV. Indictione XIII. obiit Dominus Remundus Berengarii Comes Barchinonensis et Marchio.
- III. Idus Julii. Eodem die obiit Petrus Pontii hujus Sedis archilevita, qui obiit in expeditione hierosolimitana

anno XCVIII post millesimum ab incarnatione Domini.

Kal. Aug. Eodem die obiit P. G. (Petrus Gerundensis) Episcopus qui valde diligens gerundensem sedem exercens qui in ea diversi honoris ordinem ob Dei genitricis amorem vocatione divina vitam meruit celibem.

XII. Kal. Sep. Eodem die obitum Atoni Episcopi et Ermen-gaudi Comiti. Eodem die obiit Guillelmus Guifredi anno dominicæ incarnationis M.LX.VII.

III. Non. Sep. Eodem die obiit Bernardus Umberti hujus sedis Episcopus anno Dom. incarn. C. XI. post millesimum.

V. Idus. Oct. Eodem die obiit Sicardis mater Bernardi Episcopi.

XV. Kal. Dec. Eodem die obiit Berengarius Gerundensis Episcopus ann. XC.III. post millesimum ab incarn. Dñi.

Nonis. Dec. Obiit Raymundus Berengarii Comes Barchin.

LV.

Acta martirii Sanctorum Vincentii, Orontii, Victoris Diaconi, Aquilinæ hujus matris, et Patris ignoti nominis. Ex veteribus mss. et ab Episcopo Gallo in cultiorem formam redacta.

CAPUT I.

Sanctorum Vincentii et Orontii iter in Hispaniam martyrii desiderio.

1. Anno septimo Diocleciani et Maximiani Imperatorum facta est persecutio magna in suburbio Gerundensi in Castello Gratianopoli: et sancti palmam martyrii dignam compleverunt: quos in virtutum culmine erectos, divinitas irradiavit; et sicut stellæ fine vel ortu suo rutilant, sic per orbem terrarum in cunctis civitatibus Martyrum et Con-

fessorum fides decorata præfulget, ut tantam in se credentibus gloriam Dominus, quam pollicitus est, tribuat: quo in seculis futuris multi gaudeant, videntes in immensis miraculis justorum facta coruscare et in æternum credant eos regna percepisse sempiterna. Nec ullo modo gentibus potuit esse incognitum quod tonitruo prophetici sermonis fuit editum: In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum. (Psal. 18. 5.)

2. Igitur dum post Passiōnem Domini nostri Jesu Christi, gloriosissimi Apostoli Petrus videlicet et Paulus regiminis Ecclesiæ principatum, et Cathedram Catholicæ fidei amore recessissent, et per doctrinæ eorum eloquium Italica regna usque ad Galliam Comatani fidem Catholicam recepissent; pervenit ad beatissimum Vincentium et Orontium in civitate Cimera eorundem Apostolorum doctrina. Qua repleti, ita eos amor religionis et ardor Christi perfudit; ut non solum ipsi baptismi sacramentum perceperint, sed et suis parentibus paganis tradiderint. Nam pater eorum Vicarius et mater Aurelia sacri fontis unda et chrismate sunt perfusi.

3. Prædictus autem Vincentius et Orontius frater ejus desiderantes martyrii palmam, suum pro Domino fundere sanguinem perquirebant. Sed dum jam Christi gratia præfulgente, totus fere mundus lavacri gratia esset perfusus; audientes Sancti Dei Vincentius et Orontius sæva crudelis imperii jussa per Rufinum Hispaniæ Præsidem ita esse data, ut Christianorum fides per ejus sævitiam in idolorum culturam converteretur; confirmati Trinitatis spiritu, ut mysticæ Divinitatis Sacramento prædictam urbem imbuerent, et rore fidei auctore Deo, perfunderent, ad eam festinarunt: cunctis roboratis in fide, martyrii palmam, quam desiderabant tandem perceperunt. Nam dum nefandus Diocletianus servili genere ortus, arripuisset imperium et nimium cothurnitatis contra Dominum, instigante diabolo, elevaret conatum, istam satellitibus suis præcepit instantiam, ut quicumque Christianum se esse confiteretur, et Jovem, aut Junonem, aut Venerem non adoraret, hunc poenis maceratum vite dispendio interimerent. Et cum su-

per omnes truculentus Rufinus Hispaniarum Consularis edoc-
tus ad rabiem fuisset, ita in servos Dei grassabatur, ut
quotidie credentium se sanguine satiaret.

4. Tunc prædicti viri desuper afflati, Vincentius et
Orontius, ad prædictum Castellum Gratianopolim pergentes,
ubi sedis crudelissimi Rufini erat, perrexerunt: et inibi
Pontificem Pontium invenerunt, qui se propter horrorem
Rufini per cavernas petrarum abscondebatur, cum fidelissi-
mis Christianis in Dei laudibus vacans: inter quos quidem
Sanctus Levita Victor, multis miraculis sanctitatis præbe-
bat exempla; ita ut persecutiones memorati Rufini, non
solum non pertimesceret, sed etiam illi obsisteret. Hic au-
xiliente Christo hoc officium gerebat, ut hospitalitatem
Christianis et pauperibus ministraret.

5. Ad hujus ergo famam beati Martyres Vincentius et
Orontius ad vicum Rhodas, ubi jam dictus sceleratissimus
Rufinus Capitolium constituerat, pervenerunt. Ubi Athleta
Dei Victor, Angelo Dei se edocente S. Vincentium et Oron-
tium sibi conjunxit; et in villæ suæ pagum cui vocabulum
Julianum, ducens, hospitalitatem sanctis de more exhibens,
eos gaudens suscepit. Et tantam in servis suis Deus pruden-
tiam esse voluit, ut dum B. Vincentius et Orontius et Vic-
tor Levita conjuncti essent in Trinitatis nomine, oram il-
lam, Christi procurante misericordia, fide illustrarent, ut
fere tota patria illa divinis laudibus resonaret.

CAPUT II.

SS. Vincentii et Orontii martyrium.

6. Cumque hoc impiissimus Rufinus audisset, iræ furo-
re repletus, et diabolico consilio succensus ad locum jam
dicti hospitii, quod Julianum dicitur, pervenit. Nec latere
Dei servos potuit, quod ad palmam gloriæ ac martyrii pro-
pinquabant. Exeuntes igitur hospitium, in montem orandi
gratia perrexerunt, petentes illius fortitudinis auxilium, qui
numquam derelinquit sperantes in se. Tunc impiissimus

Rufinus veniens ad hospitium Victoris Levitæ, sic ad eum proçacibus verbis locutus est, dicens: Dic infidelissime virorum, qui Diocletiani Augusti non solum jussis te subtrahis, et ejus quem Judæi crucifixerunt confiteris te esse servum, verum etiam seductores Vincentium et Orontium hospitio suscepisti: dic, inquam, ubi eos tegis? Vel qua conditione præfulges, ut populum à cultura deorum Veneris et Minervæ, ad Christum, quem dicis esse Deum, convertas? Per salutem Deorum, si citius non dixeris ubi seductores illi Vincentius et Orontius commorentur, diversis te cruciatibus affligam. Sanctus vero Victor armatus crucis vexillo sic respondit intrepidus: Quos quæris, non seductores, sed amatores omnipotentis Dei esse cognoscas: quia credunt in Jesum Christum Dominum nostrum; qui conceptus est de Spiritu Sancto, et natus ex Maria Virgine. Cui infelicissimus Rufinus his verbis adjectans dixit: Christum, quem dicis esse Filium Dei, natum ex Virgine, Judæi crucifixerunt, et morti turpissimæ tradiderunt: et deos meos non adoratis tu et Vincentius et Orontius, quos invictissimus Imperator de auro purissimo figuravit? S. Victor respondit: Dii illi quos Imperator tuus figurari jussit, sunt opera manuum hominum facti. Unde et de his scriptum est: Similes illis fiant, qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis: à sanctis vero quos cupis videre, super hoc quod loqueris, nihil responsi accipies. Veruntamen viri sunt nobiles, ex semine regio prodeuntes, et docti in mandatis divinis, et legibus sanctis, et hi constanter adorant Deum suum in monte hoc.

7. Cumque hæc audisset Rufinus Præses, ita (forte *iræ*, ut supra) furore repletus in montem ubi Sancti orabant, ascendit. Sancti vero à longe turbæ ascensum conspicientes, flexis in terram genibus Deum deprecabantur, dicentes: Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui Filium tuum unigenitum Dominum nostrum Jesum Christum, natum ex Maria Virgine, per Spiritum Sanctum conceptum, direxisti in hunc mundum, ut pro peccatoribus pœnam susciperet, et resurgendo nos ab inferni claustris

eriperet; da perseverantiam cordi nostro, ut confitemur Christum filium tuum non pereamus; sed illi sociemur, confitemes in nomine sancto tuo. Et completa oratione eorum, ubi Rufinus Præses pervenit ad eos, dixit: Descendite de monte et loquimini mecum. Viri Dei Vincentius et Orontius, armati Vexillo crucis in frontibus suis, et roborati in fide, dixerunt Rufino: Mons noster Christus Dei filius est, in quo semper sumus, et in quem mentibus nostris semper ascendimus. Nam tu Præses, quid nos vis alloqui? Tunc Præses Rufinus verbis jactabundis sic eos adorsus est: Non est vobis incognitum, quod ab Imperatore Diocletiano ita mihi dignitas est ampliata, ut universæ, linguæ meæ sint traditæ potestati, et ita decretum mihi datum est, ut omnem qui se Christianum esse fatetur, persequar. Unde moneo nobilitatem vestram, cum Imperio propinquitate jungamini, et nobiles sitis juvenes et decori, ut sacrificetis diis Imperatoris Diocletiani: quoniam per culturam deorum juro, si acquieveritis verbis meis, ampliores vos faciam adaucta potestate, ut majores quam ego serviatis Diocletiano Augusto. Tunc vero Sancti illi quasi uno ore dixerunt: Tu infelicissime Rufine, quid nos adorare frustra compellis? Dij illi, quos dicis Cæsaris et tuos esse, manu facti sunt. Omnes enim aurei aut argentei vel lapidei sunt, aut ex alio metallo. Omnia ista vana sunt, et sicut umbra præteribant. Nos in Deum credimus cœli et terræ creatorem, visibilium et invisibilium factorem, qui et idola potest comminuere, et nos in sempiterna regna vivorum perducere, ubi nec finis gaudii, nec vitæ justorum ullus terminus invenitur.

8. Rufinus Præses dixit. Putavi me cum prudentibus loqui; sed ut video nihil sanum sapitis, quapropter vehementer irascor. Sed rursus nobilitatis vestræ ratione commoveor, et speciositatis vestræ misereor. Tamen jubeo ut adoretis Iovem quem adorat Diocletianus Imperator, et sacris oblationibus veneratur. Quod si non consenseritis verbis meis, mortem crudelissimam patiemini. Beati vero jam non intendebant ad eum, sed unanimiter psallebant

hæc et his similia orantes: Domine Jesu bone, intentio nostra tu es, ad quem expectamus venire: cujus ardorem concupiscentes, sanati sunt omnes languentes. Tu es resurrectio et vita: suscipe diffusum et largum cor nostrum ad te: quia in te sperantes non confundentur in æternum.

9. Cumque hæc profundo et humili corde taciti orarent, et vox foris non resonaret, ait illis Rufinus Præses: Quid cogitatis intra vos ipsos? protinus edicite. Cui sancti viri responderunt: Fac quod tibi placitum est; nos autem in Deum vivum et verum et in Jesum Christum filium ejus confidimus, qui nos sanguine suo pretioso redemit. Ad hæc dicta dedit sententiam Rufinus ut uterque capitis pœna plecteretur. Ubi igitur deducti sunt in planitiem, amborum capita abscissa sunt, et sic palmam martirii compleverunt.

CAPUT III.

Victoris et parentum cædes. Vincentii, Orontii, Victoris aucta Ebiodunum corpora.

10. Prædictus autem Diaconus Victor cujus supra fecimus mentionem, cum lacrimis et fletu magno collegit corpora Sanctorum, et abscondit in cubiculo suo. Cumque hæc beatissimus Pontius loci illius Episcopus cognovisset, benedicebat Deum dicens: Domine Jesu Christe, fili Dei Regis æterni, qui dixisti: Ego sum et alius præter me non est; revela mihi servo tuo per servos tuos agone certaminis consummatos, Vicentium et Orontium, qui pro nomine tuo dignum martyrium perceperunt, ubi corpora eorum suscipiantur. Cumque pernoctaret in Dei laudibus, et paullulum somni irrepsisset, vidit Dominum Jesum in veste fulgenti, dicentem sibi: fac vehiculi plaustrum, ut corpora martyrum meorum Vicentii et Orontii ad loca sua in Italiam reducantur. Sanctus autem Pontius vocavit Victorem Levitam et dixit ei: Exaudita est petitio mea, quam postulavi à Domino. Mihi revelatum est, quod cupiebam. Vade, fili, in Villam quæ dicitur Fontes; et applica vehicu-

lum, ut juxta Dei beneplacitum reducas corpora Sanctorum in loca à Deo illis assignata.

11. Rufinus autem Præses tunc in civitate Rhodas morabatur; qui cum audisset quod Victor Levita iussionem S. Pontii Antistitis vellet exequi, statim ad pagum Julianum misit, et requisivit ubi Victor Levita esset. Qui cum corpora Sanctorum visitaret, comprehensus est à ministris Rufini: et cum adducerent eum ante Præsidentem dixit illi Præsidentem; Festina diis sacrificare; nonne et tu etiam Christo sacrificas? Respondit Victor et ait: Domino meo filio Regis regum sacrifico, et non tuis diis. Qui statim jussit incidi brachia illius, et caput ejus amputari, et amputatum est caput ejus in eodem loco, ubi Sancti fuerant decollati.

12. Pater vero B. Victoris Diaconi et Martyris, ut vidit filii sui sanguinem effusum, voluit fugam arripere: sed Aquilina mater ipsius Victoris apprehensum maritum ad se traxit, et complexatum pallio suo cooperiens caput ejus, dixit illi: Stemus fortiter in fide et moriamur pro Christo. Et illic Christo genua flectentes orabant. Quorum, dum orarent, gladiator jussus abstulit amborum capita. Sicque beati quinque beato sine dormierunt in Domino. Rufinus vero perrexit in civitatem quæ dicitur Gerunda.

Quæ sequuntur brevius in excusis narrantur.

13. Quidam Hactor nomine, qui jussionem S. Pontii Pontificis erat impleturus, reposuit (forte seposuit) corpora parentum S. Victoris. Et cum plaustra præparata essent, tres gloriosissimos Martyres Vicentium, Orontium et Victorem Levitam plaustris imponens, junctis bobus, disposita via, cum tribus corporibus perrexit itinere hactenus ignoto et cum plastro inconsuetudinario itinere, juvante Domino, profectus est, donec juxta civitatem Ebredunensem perveniret. At ubi prope muros civitatis ejusdem (quæ ponitur in capite Alpium maritimarum) pervenit, tugurium parvulum aspexit non longe. Tunc quidem corpora Sanctorum in ipso loco placuit requiescere, et adhuc in ipso tugurio nullus erat sepultus.

14. Erat autem loci illius Presbyter, nomine Arator, venerandæ fidei, qui vacabat in Domino. Hic videns carra, et boves mugientes et plaustra cum corporibus ferrè ultra non valentes, crebroolvebat animo quidnam esset. Currens vero ad Episcopum suum, qui loci illius multis miraculis præfulgebat, nomine Marcellinum, lamentantibus verbis locutus est, dicens: Vidit servus tuus grande miraculum, quod Dominus ad tuam sanctam sedem perduxit. Cui Pater Marcellinus Episcopus respondit: Quid est, frater Arator? Et ille ait: Sunt tria carra boum, onerata tribus Sanctorum corporibus, qui martirium compleverunt in Domino. Deportantes vero dicunt se ad Italiam pergere, ad quandam civitatem quæ dicitur Cimera. Ubi autem venerunt ad tugurium Judeorum, ubi cripta quædam lapidibus quadris et pretiosis marmoribus constructa est, affixa sunt plaustra, bovesque mugientes et volentes trahere plaustra, nequaquam prævalent.

15. Tunc beatissimus Marcellinus oravit dicens: Persecrator omnium Deus æternæ, qui scis et potes dominari omnia, da huic civitati salutem magnam, et corporibus sanctorum ambitum civitatis decora: et dicta oratione venit ad locum ante tugurium. Interrogavit namque Hactorem, quinam essent: et ille exposuit quæ fuerant gesta. Tunc beatissimus Marcellinus præfulgens multis virtutibus, similitudinem Abrahamæ gestans, sicut ille ab Ephron emit agrum, ita et huic fuit eloquium. Nam ab Arrio petivit tugurium, dicens: Duplicem pecuniam quam cripta hæc valet, probatam recipe. Ibi enim corpora sanctorum placibile est sepeliri. Nam ibi locum elegerunt, quo quiescant in Domino. Quod Arrius vetare non valens, dixit Pontifici: Hunc locum sine pretio ad sanctos Dei sepeliendos accipe, et me confitentem Filium Dei vivi cujus virtutem in calice per vexillum crucis solidato ostendisti, baptismi rore perfunde.

16. Sanctus vero Marcellinus Episcopus convocatis monachis et concivibus Christianis, sanctorum corpora cum laude et psallentio humavit sepulchris, et in tugurio tumu-

lavit. Ubi tanta Dominus miraculorum signa facit, atque quotidie dignatur operari virtutes, ut ægrotis tribuat medicinam, et in urbe qua conditi sunt, languentes gaudeant se recepisse sanitatem. Hactorem denique diligenter beatissimus Marcellinus redire fecit ad S. Pontium. Qui Hactor per ordinem qualiter corpora sanctorum a B. Marcellino suscepta fuerant enarravit.

CAPUT IV.

Unde Acta Scriptor acceperit. Varia Sanctorum miracula.

17. Sed quid referam ne pigris lectoribus fastidium generem? Quantam inibi Dominus virtutum gratiam ostendit ubi Sanctorum reliquiæ conditæ referuntur, verbis explicare non valeo. Sed sicut dicit B. Johannes Evangelista, quod audivimus loquimur, et quod vidimus testamur. Gesta siquidem beatissimorum martirum Vincentii, Orontii et Victoris Levitæ (quæ mihi omnium sacerdotum minimo, relatione præcedentium comperta sunt) reticere non valeo. Ætherius namque vir totius prudentiæ atque religionis, Antinciæ Ecclesiæ Antistes (cui Deo auctore ego indignus successor extiti) cognita crebra miraculorum opinione, cupiens aliquam reliquiarum eorundem martirum habere portionem, flagrantissimo æstuans desiderio, misit ad Abbatem Beroaldum, qui tunc illi præerat loco, obnixè deprecans, quo petitioni suæ libenti annueret animo. Qui pristinæ memor amicitæ qua in Christi olim connexi fuerant caritate, sponte, siquidem id permisserit Dominus, se illius precibus sponndit assensum præstiturum. Ieiuniis denique precibusque, ut desiderio præfati Præsulis satisfaceret, rite peractis; ad locum ubi beatorum martirum corpora tumulata fuerant cum ingenti ingressus est metu, orans quatenus placeret illis saltem minimam reliquiarum suarum reverentes sumi particulam. Quibus sane faventibus, duas ex eorum digitis particulas secum detulit, ac pro magno munere petenti direxit Pontifici. Ille igitur hæc audiens, inmen-

so repletus gaudio, cum psallentium choro gratulabundus occurrit; et Deo referens gratias, desiderata diu Sanctorum pignora in loco qui Noviacus dicitur honeste locavit. Ubi omnipotens Deus ad declarandum martirum merita immensa patrare dignatus est signorum beneficia, ita ut non tantum præsentibus, sed etiam absentibus fideliter petentibus eorum patrocinio salubriter suffragetur.

18. Plurimo autem spatio temporis elapso, accidit ut unus efratribus Astroaldus nomine, instinctu diaboli agitatus, ipsas prælibatorum reliquias Sanctorum furtim auferre moliretur. Qui compos voti sui tandem effectus, quod diu agere nequiter conatus fuerat, opere perpetravit nefario; assumensque deinde reliquias furtim, ut dictum est, ablatas, venit Lugdunum. Ibidem reperiens quemdam religiosum virum, nomine Beatum, cui quod audacter egerat, caute confessus est. Quo ille audito, dira eum invectione coercens, monuit, ut pœnitentiam tanti comissi agens, humiliter jam præfatas reliquias, ad proprium unde eas abstulerat referret locum. Quod ille parvipendens atque detrectans agere, non multo post à quodam comite suo, fere miliario uno à cellula prædicti viri Dei, est interfectus.

19. Verum cum ego peccator, qui hanc paginulam præsumptuose compilavi, ad Principem Lugduno navali itinere per Rhodanum properarem, ad cellulam in qua vir Dei morabatur, qui ipsa pignora Sanctorum habebat, quia prope ripam ipsius fluminis habebatur, orandi causa divertiti. Cum autem quærerem, ubinam Dei servus, qui ibidem deserviebat, nativitatis exordium habuisset; et ille mihi per singula recensuisset, quod scilicet Aurelianensis civitatis natus fuisset, et educatus, ac Hispaniæ dehinc multo tempore habitasset, curiose sciscitabar, si forte passionem præfatorum Sanctorum in locis Hispaniæ invenisset vel audisset, quippe cum eorum gesta civitas Ebredunensis minime adhuc haberet. Et cum ipse quod Clero vel turbis Ebredunensium incognitum erat de eadem passione ex ordine recensuisset, addidit etiam quo ordine ad se pervenisent eorum pignora, quæ ab Abbate Beroaldo vel mona-

chis ejus, ut supra retulimus, Sanctorum sepulchris fuerunt ablata, et Noviacō deportata.

20. Quod ego audiens et genua flectens cum Presbiteris meis, prædictum virum Dei postulavi, ut nobis eadem sancta membra reddi juberet, quatenus ad pristinam sedem cum magnis laudibus revocarentur. Ille petitionibus meis obaudiens, velle se partem earundem reliquiarum retinere fatebatur. Cum vero ad videndum sancta ossa detexissemus, tanta odoris fragrantia cellulam replevit, ut usque ad ripam Rhodani reflaret. Cum quidem nos timore perterriti, de ipsis ossibus radere jam nequaquam auderemus, prædictus Presbyter, quo saltem abluerentur vinum detulit, quod in ampulla reconderet, et pro reliquiis retineret. Cumque memorata pignora vino, ut dictum est, perfunderemus, ita vidimus, præsentē Presbitero, vinum superfusum in sanguinem versum, ac si ex recenti carne fuisset exortum. Cumque dehinc sericis pannis involverentur, ita liquor prædictus eosdem pannos perfudit, ut usque in vas quod ad suscipiendum fuerat paratum, influeret. Ne quis vero hoc incredibile ducat, in ipsis pannis factum miraculum usque hodie ad laudem Sanctorum demonstratur.

21. Verum cum juxta canonicam normam Congregatio Episcoporum Synodali Concilio Gallix conveniret; quidam Abbas ab Hispaniis pro utilitatibus Ecclesiarum ibidem adfuit. Quem cum ego peccator inquirerem ubinam passio beatissimorum martirum consummata fuisset, sic mihi per ordinem et veritatem exposuit, ac passionem conscriptam dedit. In qua passione, sicut supra meminimus inventum est, quod corpus sancti Victoris, in prædicta urbe Ebredunensi, in supra memorata crypta, cum SS. Vincentio et Orontio requiesceret; cum eatenus (forsam hactenus) habitatoribus loci illius semper incognitum fuerit, cujus corpus ibidem humatum jaceret.

22. Ego itaque accipiens ab ipso Abbate gesta prædictorum martyrum valde rustice composita; hæc ut potui, meæ simplicitatis eloquio pro honore eorum credidi emendanda, ut quicumque ex hac relatione, quanta sint eorum

merita didicerit, eosque venerari studuerit, ipse una mecum à suis pravitatibus per hos emendari mereatur præstante Domino Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat per infinita seculorum secula. Amen.

Documenta ad Sancti Felicis Gerundensis Doctoris vitam et passionem illustrandam.

Prudentii himnus ex Breviario Muzarabico exscriptus.

Fons Deus vitæ perennis lux origo luminis

Aspice plebem canentem festa summi Martyris,

Excipe vota precantum, sume laudum carmina.

En tui Felicis almi pangimus insignia:

Tu resolve vincla linguæ dans sonora cantica;

Ut tua rite queamus promere magnalia.

Istè namque Cæsareæ urbis Mauritanæ

Mundialis disciplinæ dum studeret litteris,

Artium fumosa fabra te sequendo deserit.

Audiens plecti fideles mox Gerundam pervenit;

Præsidis jussu retentus, truditur in carcere

Ferreis baccis onustum, conloquuntur Angeli.

Sistitur Aræ, cruentis ut litaret idolis;

Respuit infame factum voce Christum profitens:

Perstrepit turba bisulcis ossa nudans unguis.

Nempe mulis alligatus dissipatur artibus;

Fluctibus presso marinis unda turgens subditur:

Angelis immixtus, almis ora pandit canticis.

Omnia tormenta forti præcurrit pectore;

Postque penas et catenas, unguilas ac verbera,

Carnea claustra relinquens migrat ad cœlestia.

O nimis Gerunda felix ò beata civitas,

Nihil malorum tu pavescis freta tanto martire:

Postulata promeretur, quisquis hic confluerit.

Hic Dei virtute pressi lancinantur dæmones,

Verberantur, vinciuntur, et cremantur acriter,

Utque fumus et favila nihil vigoris obtinent.

Hic salus obtata fessis, sed è cælis profluit,
 Visio cæcis patescit; lingua mutis advenit,
 Surdus aures hic receptat, atque claudus exilit.
 Inde cuncti te precamur, una summa Trinitas;
 Martyris ut impetratu nostra tollas crimina,
 Noxia cuncta repellas, et secunda impertias.
 Clerus hic vita nitescat, et Sacerdos floreat;
 Plebs fidelis, quod requirit, impetrasse sentiat:
 Omnis ætas, atque sexus hoc patrono gaudeat.
 Gloria Patri natoque semper et Paraclito
 Laus, potestas, atque virtus, gratiarum copia;
 Quæ Deum cuncta fatentur sæculorum sæcula. Amen.

*Hymnus ex Antiphonario Ecclesiæ Vicensis sæculo
 xi. exarato adamusim exscriptus.*

Concrepa simbolica aristo psallens melodema polorum
 corea. Uranica regia en personant simphonia ad die incli-
 ta. Trina ternarum curia dindima concrepant simul preco-
 nia. Felicis testis trophea roboans augusta intra palatia. Cu-
 jus dinamis invicta pollet in arva, et cui pia odas fert ca-
 terva hipofetica himologia. Tellus olim qui spanie traxit
 africa pandens munia jugavit plurima christo climata pel-
 lens ludrica. Theologica Gerunda opimatis verbis at sper-
 mata hisgeromista. Fortis tempisit scita ruphini seva hians
 omnigena vincens tormenta Crucis ast vexilla forcia vibrat
 ovans ambulans super undas pontum triumphat naviter de-
 promens alleluia. Fretus nam falange divina angelorum lim-
 pha post solidata sub vestigia agonem iterat mactus vis
 summa. Carceris claustra clausus horrida agonista potens
 gerungia alitur celitus felix atleta. Laniste demum pervi-
 cax fera tergora mulorum nexum summa invictum spiri-
 tum missit æthera. Cujus africa laureata micat aula in su-
 perna. Felix feliciter lampas sceptra. Veneranda cujus mem-
 bra angelorum tumultata manibus extant extra urbis me-
 nia. Felix Gerunda tanta redimita sanctorum clara pigno-
 ra patrare mira quorum semper. . . glebas. O quam ruti-

lat martir, nitet sarta in sede senatoria ornans virtute ar-
 tus sanctos tuos fulcra. Poscimus jam tua nosmet colentes
 calludia fertio hic superna nos in regna. Neumatum conci-
 na cors et alma ubi doxa ovans aristo psallit mira lodica
 Poemata cui demus hidpellidica cuncta per secula. Amen.

Alius hymnus ad vespervas.

Reperitur in Breviariis Gerundensi et Vicensi

sæculi xiv. adque xv.

O Felix valde paradisi particeps,
 Rosea gemma inter cœli principes,
 Qui purpuratus per stolum martirii
 Gaudia vitæ meruisti ingredi
 Talamum agni nobis orans aperi.
 Gloria Deo per immensa secula. Amen.

Post nonam lectionem depromebantur sequentia

Verbetea.

Ex Vicensi Breviario.

Aperi Felix alme portam patriæ
 Quam victo hoste meruisti introire,
 Ubi victor hodie regnas in pace,
 Cum sanctis gaude regnum possidens cœleste.
 Jam solèmnnes quoque laudes
 Tuæ catervæ suscipe
 Quas in honore tuo psalit gloriose.
 Christe dignare clemens accipere.
 Petimus ergo Felix martir inclite,
 Adversa pelle cunctaque pròsperâ tribue,
 Benignum Jesum posce nostra vincula solvere
 Culpæ, liberet ab antiquo hoste
 Atque januam celestem orans aperi.
 Te Deum etc.

*Prefationes et orationes in festo Sancti Felicis
ex Misalibus Vicensibus depromptis, et anno*

1038. *exaratis.*

1. *Æterne Deus.* Tibi enim festiva solemnitas agitur, tibi dies sacrata celebratur, quam beati Felicis martiris tui sanguis in veritatis testificatione profusus, magnifico nominis tui honore signavit. Et ideo etc.

2. *Æterne Deus.* Qui patrono nostro sancto Felici martiri tuo cujus hodierna festivitate unanimiter gaudemus: quanta contra nefandorum hostium molimina præbuisi subsidia consonis vocibus preconari. Quem adhuc florente juventute studiis literarum volentem vacare quatenus populo tuo precipue hispano verbi tui semina diffunderet, dignatus es educare. Qui dum te unum in Trinitate et te eandem Trinitatem colendam in unitate ineffesis vocibus ingeminaret, trino elemento terra videlicet, mari et aere multimodo martirio corpore quidem defecit, non animo. In aere sursum vestigiis ab hora tertia usque ad nonam suspensus. In humo vero nexis manibus indomitorum mulorum cruribus per avia queque atrociter distractus, ferreis uncis terribiliter discerptus, umbroso carcere loris ligatus truditur, sed tui angeli adventu penitus irradiatur. Vasto enim lapide, necnon et immenso pressus catenarum pondere alto submergitur pelago. Verum his postmodum tua potentia contritis, super fluctus maris alleluia auditus est cantare cum angelis. Tandem denique gloriosæ mortis adeptus est palmam. Tuam igitur summe Deus pietatem ut æternæ vitæ bravium ejus meritis suffulti cum eo habere mereamur deprecemur. Et ideo etc.

Oratio pro officio.

Deus qui beato Felici detentò vinculis in specie coruscanti visus es juvenis, mentes nostras ut gratia tui luminis quæsumus illustrare digneris. Per &c.

Ad Missam.

Deus qui beato Felici martiri ut persecuentium rabiem vinceret tantam contulisti constantiam, ejus ope quæsumus suffragari, quo tibi digne semper mereamur famulari. Per Dominum &c.

Ad comm.

Cœlestibus reffectis sacramentis, æterne Deus, et beati Felicis martiris tui annuis solemnibus gratulatis præsta nobis famulis tuis, ut cujus solemnia colimus, ejus semper meritis apud te muniamur et precibus. Per &c.

Alia oratio.

Omnipotens æterne Deus qui ad martiris tui Felicis solvenda catenarum pondera tuum delegasti angelum, nostrorum quoque scelerum benignus dele chirographum. Per &c.

Alter.

Beati martiris tui Domine Felicis ecclesia tua imbuta doctrinis, quod suis non optinet meritis ejus apud te mereatur presidiis. Per &c.

Alia.

Plebs tua Domine tibi semper devota famuletur, et ejus precibus cujus solemnitatibus hodiernis festiva resultat, quod juste deprecatur optineat. Per &c.

Ultima.

Deus qui martirem tuum Felicem ab imis fluctibus submersum ad littora reduxisti, nos quoque famulos tuos ab imis vitiorum ereptos virtutum moribus precamur aptari. Per &c.

In Misale unde exscripta sunt, predicta legitur pag. 100. retro. Anni Dñi. ab Incarnatione M. XXX. VIII. Sic fuit Ecclesia sancti Petri in vico dedicata II. Kalendas Septembris anno VIII. regni regis henrrici, et iste libellus scriptus in prefata sede in predicto tempore in diebus Domni Olive, anno ordinationis suæ in Episcopatu XXI.

*Ex Gerundensi Adonis Martirologio goticis literis exarato
S. Felicis vita, tormenta, mors, et sepultura.*

In Hispaniis, Civitate Gerunda, natalis Sancti Felicis Martiris, qui de Scillitana civitate oriundus, cum persecutiones in Hispaniis adversus Christianos agi cepissent, ascensa mercatorum navi, amore martirii ocus accurrit. Et aliquandiu apud Barcinonam, Empurias et Gerundam verbum Dei prædicans plurimos in fide confortasset, et fama ejus longe lateque crebresceret, jubente Datiano, repente à Rufino officiali tentus est. Cumque nomen Christi confidentissime fateretur, primo fustibus cæsus, et in ima carceris trusus, deinde manibus pedibusque ligatis, negato cibo et potu, in loco squalido projectus, post hoc etiam catenis gravioribus vinctus, per totas plateas ab indomitis mulis tractus, et poene in frustra discerptus est. Deinde missus in carcerem, nocteque ab angelo visitatus atque sanatus, facto die ad certamina revocatus est. Tunc unguis excoriatus, capite inverso ab hora tertia usque ad vesperam suspensus, nullum penitus sensit dolorem.

Deinde in carcerem Rufinus eum trudi præcepit, ubi per totam noctem splendor copiosus effulsit. Sed et voces angelorum psallentium auditæ sunt: quod cum nuntiatum fuisset Rufino à custodibus, jussit eum manibus post tergum ligatis in maris profundum mergi. Ibi continuo vincula ejus dirupta sunt, et angelis sibi manum tenentibus, super undas deambulans al litus pervenit. Tunc Rufinus jussit iterum cutem ejus unguis detrahi, ac deinde usque ad ossa laniari, et tandiu vulnera vulneribus instaurari, usque dum invictum Christo spiritum reddidit. Corpus ejus Gerundæ in

monumento quod ipse sibi preparaverat, conditum est Nonis Augusti.

LVI.

In festo Sancti Karoli magni imperatoris, et confessoris.

Ad Vesperas.

Regali natus de stirpe deoque probatus Karolus illicitæ sprevit contagia vitæ. *Psalmi feriales. Cap.* Non est inventus. *R.* Te secutus miles. *Hym.* Iste Confesor. *ψ.* Amavit eum. *Ad magnif. Ant.* O spes afflictis, timor hostibus, hostia victis, regula virtutis, juris via, forma salutis Karole servorum pia suscipe vota tuorum. *Oratio* = Deus, qui superabundanti fecunditate bonitatis tuæ Beatum Karolum magnum imperatorem, et Confessorem tuum deposito carnis velamine beatæ immortalitatis trabea sublimasti, concede nobis supplicibus tuis, ut quem ad laudem, et gloriam nominis tui honore imperiali exaltasti in terris, pium ac perpetuum intercesorem habere mereamur in celis. *Per.*

Postea fit Comm. de beata Agnete, et de Sanct. Maria.

Ad Mat. Invit. Confessorum regem. *Hym.* Jesu redemptor. *In noct. psal.* Beatus vir, cum sequentibus. *et Psalm. et ψ. ut in commu. Confessorum.*

Lectio prima. = Cupiens Sanctus Karolus magnus beati Jacobi Apostoli monitis obedire, disposuit ire usque in Spaniam, et eam catholicæ fidei subjugare. Capta vero civitate Narbona et munita, in qua Hispania inchoatur, perveniens ad terram rossilionis, quæ est principium Cathalonix Christi auxilium, et beatæ Virginis Mariæ humiliter imploravit. *R.* Euge serve bone.

Lectio secunda = Oratione vero completa, intendens in Cælum vidit beatam Mariam, Christum ejus filium deferentem. Vidit etiam beatos Jacobum, et Andream manentes unum à dextris, et alium à sinistris. Quos cum inspiceret sanctus Karolus, stupens in splendoribus, percepit bea-

tam Virginem sic loquentem. Ne paveas Christi miles Karole, brachium, et defensor ecclesiæ, quoniam nos tecum in bello erimus, et liberabimus te cum victoria. R. Qui me confessus.

Lectio III. = Sed cum montes transieris pirineos obsidebis civitatem Gerundæ et eam licet cum laboribus obtinebis. In qua ad meum honorem, et reverentiam edificabis Ecclesiam Cathedralem. Benedicam tibi, et dirigam te super omnes milites hujus mundi. Et habebis Sanctum Jacobum nepotem meum directorem, et totius Hispaniæ protectorem. Quibus dictis disparuit visio præmonstrata. R. Sancte Karole. R. *Cum sequentibus IIIj. et v. ut in Sancto Benedicto.*

Lect. IIIj. Tunc Sanctus Karolus suum exercitum animavit, et cum in fervore spiritus exercitum infidelium invasisset, ceperunt terga vertere, et totis viribus fugere, non valentes resistere Christianis. Finaliter obtenta victoria in campo, quod dicitur milet, ædificavit Ecclesiam sub invocatione beati Andreæ Apostoli. In qua nunc religiosorum monasterium est constructum. Captis insuper castris, et villis vallis piri, et rossilionis, et ad locum, qui dicitur saclusa Sanctus Karolus devenisset, scivit regem marcilium iterum fuisse inclusum. Ideoque saclusa vocatur, quod mons acutus antea vocabatur. R. Sanctus Karolus.

Lectio v. Infidelibus tandem inde fugatis, pervenit ad montis verticem qui vocatur albarras. Postea nominatus est mal partus, ubi invenit resistentiam ne transiret. Tunc Sanctus Karolus aciem divissit per partes, unam per collum de panissas ubi ad honorem Sancti Martini Ecclesiam fabricavit. Aliam vero partem per abruta montium destinavit. Sarraceni vero divisam aciem intuentes ceperunt fugere usque in civitatem Gerundæ, timentes ne capti in medio remanerent inclusi. R. Sanctissime Confesor Christi Karole.

Lectio vi. Quod audiens Sanctus Karolus destruxit omnia fortalicia de quibus Christianis transeuntibus periculum iminebat. Qui persecuendo impios usque Gerundam arripuit viam suam. Et perveniens ad locum de ramis in ho-

norem Sancti Juliani Ecclesiam ædificavit. Rotulando etiam capellam Sanctæ Teclæ Virginis in eisdem terminis ordinavit Beatus vero Turpinus remensis Archiepiscopus altare sancti Vincentii ibidem exaltavit. R. Ecce homo.

Lectio vii. Tunc Sanctus Karolus devote consurgens ivit versus vallem hostallesii. Et egressus de loco, qui dicitur Sent madir exivit obviam Sarracenis, de quibus obtinuit victoriam, et honorem, et propter hoc ibidem constituit monasterium monachorum. Construendo altare majus sub invocatione Virginis gloriosæ. Sed quia locus ille sarracenis fuit amarus, ideo Sancta Maria de amer ex tunc fuit ab incolis nominatus. R. Beatus Karolus, *ut in Sancto Nicholao.*

Lectio viii. Recedens inde Sanctus Karolus rediit ad montem de barrufa qui est juxta vallem tenebrosam, et obsedit civitatem Gerundæ. Quam nequivit tunc capere, licet eam multis vicibus debellasset. Contigit tamen quadam die veneris hora completorii celi facie clarescente crucem magnam, et rubeam lumine undique adornatam super mesquitam civitatis Gerundæ ubi nunc edificata est ecclesia cathedralis, per quatuor horas cunctis videtibus permansisse, gutas etiam sanguinis concidisse. R. Te secutus miles iste, et acceptus tibi Christe. Comparatus Eliseo, opus egit dignum deo. V. Qui dum orat languor cedit, mors fugatur, vita redit. V. Comparatus. Gloria. Hymnus. Te Deum. V. Cap. Non est inventus. *In laudibus. Antiphona.*

Precintus fortitudine, et potitus victoria donavit sanctitudine rex Karolus in gloria. *Psalm.* Dominus regnavit *cum sequentibus* A. Jubilemus altissimo in atleta sanctissimo cum missa per Spiritum cerva duxit exercitum. A. Inde sero dum devias, et disponis excubias, tibi deus aperuit ales fidem exhibuit. A. Passionis dominicæ veneratur miracula, regem virtutis celice benedixit in secula. A. In cithara, et timpano laudemus Domino, qui culpæ inmisit regie quartam latricem veniæ. *Cap. non est inventus. et dicit. per omn. horas.*

*Ordinarium Sacramentorum secundum laudabilem ritum
Diœcesis Gerundensis jussu D. Joann. de Margarit Gerun-
densis Episcopi editum anno 1550.*

Ex nota marginali in Consuetâ super Caroli officium.

Istud officium hodie non celebratur quia per Summum Pontificem per suum breve fuit mandatum Capitulo non celebrari, et ideo fuit ordinatum supersederi in dicta celebratione donec aliter fuerit ordinatum à Sede apostolica.

*Officium Sancti Narcissi Episcopi et Martiris ex dicto
jam breviario desumptum.*

In primis vesperis, una tantum A. Sanctus Narcissus. psalmi feriales, Capitulum, Beatus vir, qui suf. R. O beate Narcisse. Hymnus: Felix Narcisse. ut in sancto Felice gerundæ. V. Ora pro nobis &c. Ad magnificat. Venerabilis pontifex Narcisus post laudabilem conversionem affræ cum suis omnibus ad Ispanias profectus gerundam adiit intrepidus ubi multum populum ad fidem convertens veram cum sancto Felice diachono suo pervenit ad martirii palmam. Et triumphatur. Oratio. Deus, qui beatorum martirum tuorum Narcissi pontificis, et ejusdem levitæ felicis hodiernum diem perornas meritis, et exemplis, eorum quoque nos quæsumus adjunge consortiis.

Ad Matutinum. Invitatorium. Laudibus excelsis plebs Christo concinat omnis. Qui dedit ethereum Narciso escandere regnum. Ps. Venite. Hymnus. Martir Dei.

In primo noct. Cum sub diocletiano tirano seva persecutionis tempestas Christi turbaret ecclesias, beatus præsul Narcissus Domino favente vindelicam venit augustam. Ps. Beatus. A. In qua civitate cum puellis suis veneris sacris dedita tunc turpis sed postmodum Sanctissima habitabat affra. Ps. Quare. A. Cujus prostibulum cum Felice diachono suo sanctus præsul ignoras ingresus pacem domui

imprecatur benigne qui quasi pro turpi amatore suscipitur.
Ps. Domine Ψ . Posuisti.

Lectio i. Quia hodie fratres carissimi festivas almi Confesoris Narcissi et martiris Christi annua decursione devolvitur gaudeamus. Hodie namque justus in domo domini plantatus quia sicut palma flores in excelsum protulit, maturos in aulam regis eterni fructus exhibuit. \mathcal{R} . Beatissimus martir Domini Narcissus divini verbi predicator egregius, et sacerdotii dignitate resplenduit: Et cum triumpho martirii aulam caelestis regni victor intravit. Occidentalibus populis vere fidei lumen ostendit, et apud gerundam gloriosa morte quievit \mathcal{R} . Et etc.

Lectio ii. Hodie stolam quam in sanguine agni sepe abluerat indutus atque sacerdotii dignitate infulatus et martiriali laurea coronatus, et roseo sui sanguinis rubore perfusus Caelesti imperatori fortissimus miles gloriose est presentatus. \mathcal{R} . O beate Narcisse flos paradisi dulcissime, qui meretrices a sordibus mentis et corporis emundasti et dulcis eloqui predicatione ad palmam martirii animasti. Et hostem generis humani divina interceptum prudentia sapientissime conclusisti. Ψ . Denique aquas flatibus draconis infectas usibus hominum aptas exhibuisti: \mathcal{R} . Et hostem.

Lectio iii. Hodie domum senatoriam introiit et a Christo vero rege complexus, in ordine suo collocari promeruit, et ideo exultent justi in domino quoniam rectos decet laudatio, dicantque justo quoniam bene quoniam fructum ad inventionum suarum manducabit. Gaude et tu nimium felix, et letare gerunda, quia speciale promeruisti munus, quod nulla circa te conmanens civitas potuit habere vel locus. \mathcal{R} . Laudes martiris extollamus Narcissi qui teterrimo demonio in fallaci conclusit argumento veritatis sine falacia. Cujus conclusionem ponitur Christi passio. Ψ . Puellas convertit, demonem vicit argumento rationis. \mathcal{R} . Cujus. Gloria.

In sec. noct. ant. Cum psalmis deo et himnis sancti viri vota persolverent, Affra stupens et tremebunda insolitum sibi hospites vellens est admirata. Ps. Cum invocarem. A. Audiens vero beatum virum Christianorum esse antistitem

pedibus ejus prosternitur se turpem se peccatricem talique indignam hospite profitetur. Ps. Verba mea. A. Quam vir sanctus verbis evangelicis consolatus ad penitentiam et conversionem coortatur eique si credere et baptizari velit veniam et vitam æternam pollicetur. Ps. Domine Dominus noster. *Ps.* Magna est.

Lectio iv. Tibi enim affrica fidei calore repletum deo disponente, Felicem dixerit sanctissimum, qui barchinonam docendo ad Christi fidem atque culturam perduxit et predicando Impurias ab errore demonum liberavit, viamque veritatis ignorantibus demonstravit. atque te evangelizans cum triumpho martirii. In te gloriosa morte quievit. *R.* Beatus Pontifex Narcissus cum beatas fœminas gratia divina præventas capaces verbi presensisset, toto nisu fructices errorum extirpare: Et veritatis frugem studuit inserere. Domino pro ipsis supplicans et verbum vitæ eis anuncians. Et veritatis.

Lectio v. Tibi quoque verus oriens atque sol justitiæ Narcissum florem paradisi et luciferum adventus sui preconem direxit, qui diversas illustrando provincias, atque provocando animas ad pœnitentiam: diabolica fraude deceptas: dum te sua prædicatione doceret, suisque orationibus foveret, in te venerabilis martyr existens, cum consortibus propriis in libro vitæ conscriptis in perpetuum preminiret. *R.* Sancto præsule precibus obnixius insistente, demon nigerrimus et horrore plenus apparuit, ac se injuria suis è sedebus pelli proclamavit. *Ps.* Mundi cordis amatorem nihil in tam sordidis habere vasis protestatur. *R.* Ac se etc. *Lectio vi.* dicitur de Sancto Narcisso Jerosolimitano.

In tertio noct. ant. Sancto Pontifice in divinis laudibus pernoctante lux celitus emissa et tenébras noctis excussit et cor affre splendore fidei illuminavit. Ps. In Domino. A. cumque dulcem sanæ doctrinæ saporem pregustasset affra puellas suas allocuta promptas eas ad viam vitæ pedisequas invenit. Ps. Domine quis. A. Affra priscam raab Jericontem secuta veri Jesu legatos ad supplicium à persecutoribus requisitos sub lini fasciculis supernæ civitatis futura civis oc-

cultabat. Ps. Domine in. *Ps.* Gloria.

Lectio vii. secund. Joan. Amen, amen dico vobis: Nisi etc. *Homilia Ev. ejusd.* Clemens et Pius Dominus noster incomprehensibili misericordia frequenter in scripturis ut sacramenta visibilia et invisibilia nobis patefaceret, ex rebus terrenis visibilibus quasdam similitudines nobis dedit. ut per cognita incognita cognoscere possimus. *R.* Propulsis post longum conflictum prisci erroris persuasore vir Domini Narcissus beatas mulieres: Fide Christi plenius instruxit et salutari lavacro penitentia et jejuniis preparari fecit. *Ps.* Familiam totam, cognatos affines et amicos. *R.* Fide Christi.

Lectio viii. Sed ò beate Narcisse flos paradisi, atque in omni loco permanens bonus odor Christi, quibus te laudibus extollemus. fidem ne prius an virtutes miremur. Sed fidem, cum sine ipsa quæ te scuto suo armavit, galeaque salutis protexit, et gladio spiritus verbo scilicet dei premunivit, numquam quisque Deo placere valebit. *R.* Postquam novellam conversa affra beatus Narcissus Augustæ fundavit Ecclesiam novam Domino lucraturus familiam: Hispaniarum urbem adiit gerundam. *Ps.* Ubi cum Felice diachono suo feliciter martirium consumavit. *R.* Hispaniarum.

Lectio ix. Igitur eo tempore quo per augustam civitatem transitum habuisti, quid ibi gesseris, qualiter docueris testimonio tua sanctitas non indiget. Quoniam repleta civitas tuis prædicationibus, et munita tuis sanctissimis orationibus, actenus sacerdotes à te constitutos, et martires ostendit. *R.* Gloriosus Domini martir Narcissus completo venerandæ passionis cursu magnifico coronam gloriæ consecutæ à Domino: In æternum regnat cum illo. *Ps.* Cujus venerabile corpus actenus incorruptum ad insigne manet miraculum, spiritus autem conjunctus Domino in cælesti solio. *R.* In ætern. Gloria, et iteratur.

Verbata. In æterna cœli arce superato mortis principe Victor Narcissus duplici coronatus diademate. Regi regum assistit hodie refferens palmam victoriæ. Quem in ejus precamur obnixè veneranda solemnitate. Ut cives cœlestis patriæ nos reddat in quo sine fine. *R.* Regnat cum illo. Item

per octav. R. Lumen fidei corde gerens affre lucem infudit gratiæ quam nobis divino munere præsentavit cum pleno fulgore se continuans. Ostendens Narcissum veri luminis amatorem. V. Fontem mundavit alpium juliarum nox removetur mundo tenebrato. R. Ostendens. Dicitur Te Deum. V. Ante laudes. Ora pro nobis. etc.

In laudibus, ant.

Sanctus Narcissus Pontifex egregius et martir beatissimus persecutionis tempore domum meretricis ingresus est affre. A Cognoscens affra Narcissum sanctissimum esse Christianorum Episcopum ad pedes ejus cecidit continuo, Domine, dicens, indigna sum tuo consortio. A. Beatus Narcissus Episcopus affre respondit Christus à turpissima tactus inquinari non potuit cujus sanctitas omnes sordes peccatorum diluit. A. Extincto lucernæ luminæ cœpit præsul venerandus orare, veni lux vera de cœlo et ostende nobis faciem tuam et salvi erimus. A. Orante Narcisso beatissimo venit subito fulgur ut splendor solis ab alto et tandiu emicuit donec aurora resplenduit. Cap. Beatus vir, qui suffert. *Et dicit. per horas.* R. Posuisti. Himn. Felix Narcisse. V. Ora pro nobis. etc. *Ad secund. Vesp. Antiph.* Sanctus Narcissus. Cap. Beatus vir. Alleluia. V. Narcisse martir sanctissime sedule pro salute totius populi Christum deprecare.

Prosa. Fidelis turba Christi de martiris victoria. Narcissi consoletur qui vicit hostis prelia. Legem fidei per quam novit verbum Dei docens cum gratia. Convertit affram idolatram fide justam ab justitia. O quam fortis dilectio et invicta constantia. Quam preclara confessio quam justa penitentia. Per Narcissum affra conversa subit gaudens martiria. Docturus properat martir gerundam cujus solempnia. Per mundum hodie colit Ecclesia. Comendans meritum læta de gloria. Vitæ novæ fructum dant evangelia. Quem prædicat justus cum fidutia. Ergo præces nostras ejus clementia. Deo representet data venia. Cujus virtutum merita colunt laudant humana et cœlestia. Ante conspectum Domini nos adjuvent illius suffragia. Laus honor regi qui regit omnia. Amen. Ad magn. O flos paradisi beatæ Narcisse.

cum sancto Felicæ gloriæ tuæ consorte esto clementer de nostrarum pondere miseriarum sollicitus ut quia de tua sumus celebritate lætantes tuorum in æternum mereamur meritorem esse participes. Et triumphatur. *Oratio.* Deus qui beatorum martirum.

Lectioes pro Oct. Ibi denique datæ lupanaribus et diversis generibus pollutionum, nefandissime veneris meretrices, te in hospitium suscipientes tuamque sanctitatem divinissimam intuentes et claritatem superni luminis in te celitus emissam conspicientes, Domini nostri Jesu Christi, verissimæ per te meruerunt esse cultrices. Ipse nimirum eas de faucibus antiqui draconis eripuisti. Sicque illas creatori purificatas à sordibus mentis et corporis consecrasti, atque armatas tua sanctissima predicatione, inter collegia martirum cum corona martirii mirabiliter introduxisti. Ipsum etiam draconem inimicum generis humani, repletus Christi sapientia sapientissime conclusisti, ut nisi dracho drachonem suum interficeret amicum ipse ruinam passus profundissimam protinus rueret in abissum. Aquas interea alpium juliarum quas ne ad usque proficerent hominum luridus infecerat inimicus, tua dulcis oratio in dulcedinem vertens humanis usibus aptas exhibuit. Responsoria propria de festo, etc.

Pro octava S. Narcissi.

Lectio. i. Beatus martir Narcissus divini verbi predicator egregius et Episcopali dignitate resplenduit, ac cum triumpho martirii aulam cælestis regni victor intravit. Prius quippe orientalibus postea occidentalibus populis precipue in civitate Augustæ Vindelicorum ubi Apostolus, et Doctor appellatus fuit veræ fidei lumen ostendit, et deinde post reditum suum in Hispaniam apud Gerundam civitatem gloriosa morte quievit. *L. 2.* Cum ergo multos ad fidem Christi convertisset, quadam die in eadem civitate inter ipsa sacrificiorum misteria in confessione sanctissimæ Trinitatis à persecutoribus trucidatus et tribus vulneribus transverberatus fuit. *Lect. iii.* Denique completo venerandæ passionis cursu co-

ronam gloriæ est consecutus à Domino et in æternum regnat cum illo, cujus venerabile corpus hactenus incorruptum ad insigne manet miraculum, spiritus autem conjunctus Deo in cælestibus regnis exultat cum illo.

LVII.

*Carta del P. D. Jaime Caresmar
à D. Francisco Dorca.*

De la Coleccion del P. Tragia tomo, Barcelona.

Señor Canónigo Dorca: me he hecho cargo de los reparos que V. hizo sobre mis notas al pie del Instrumento que envié de Ridaura en que atribuyo su fecha al reinado de Carlos Calvo, y al año de Christo 858. pretendiendo V. con aquellos probar con mucha erudicion ser el tal Instrumento de data mucho mas reciente. Sin embargo, con su licencia me confirmo en el mismo dictamen que dí, por las razones que nuevamente alego, y que si le aquietan á V. tendré motivo para creerlas de mayor peso.

Atendiendo al contexto de dicho documento, y combinando unas cosas con otras, hice entonces juicio que el exemplar del Archivo de Campredon, por ignorancia ó descuido del copista, tenia errada y disparatada su fecha, asi en los años de Christo como en los del reinado de Carlos, y que por los motivos que allí dí, era el año de 858. y del reinado de Carlos el 18. Verdad es que lo dixe por sola congetura: lo repito ahora, pero con aseveracion: pues con la tal fecha de 858. se halla el mismo documento publicado por los Monges de S. Mauro en el Apendice del tomo 1. de su Historia de Languedoc Prueba 75. sacado de un egemplar legítimo y sincero que está en el Archivo del Monasterio de Santa Maria de la Grasa, qual despues ví.

Asi que el Obispo Soniofredo de Gerona del año 944. que V. piensa ser el Soniofredo nombrado en el instrumento de Ridaura, de necesidad ha de ser muy diverso, ni pue-

de ser uno mismo, pues no es creible que despues del año 858. viviese aun 86. años mas, como los hubiera vivido si fuese el mismo Soniofredo de Gerona que V. dice vivia en el año 944. Lo mismo en su modo digo de los Condes Wifredos de Besalú. El de que hace mencion el instrumento de Ridaura en 858. no puede ser el mismo Wifredo de Besalú del año 951. que fundó el Monasterio de Campredon *in pago Bisuldunensi*.

Para mayor claridad de la serie y sucesion de los Condes de Barcelona y diferencia de Condados, tomemos el agua de mas lejos. Habiendo los Franceses sacado á los Godos de la mayor parte de la Francia, los reduxeron á la que por ellos fue llamada Galia Gotica. Esta parte de la Francia era la que durante aun el Imperio Romano fue llamada Provincia primera Narbonense, y esta misma se llamó despues Gocia, ó Galia Gótica, porque la poseian los Godos. Con el tiempo se llamó tambien Septimania por rozon de las siete ciudades principales que en sí tenia este territorio, que era casi todo lo que ahora llamamos Languedoc, á excepcion de las ciudades y términos de Tolosa, Usez, Albi y Vivares. Pero despues que los Moros acabaron de conquistar la España por los años de 717. subiendo por los Pirineos, pasaron á extinguir las reliquias del Imperio Gótico que restaba en las Galias, y habiéndose apoderado de Narbona y otras ciudades, hubieran llegado á apoderarse de París, á no haberlos derrotado Carlos Martel en la célebre batalla de Poitiers, en que les mató doscientos mil hombres.

Prosiguió en echar los Moros de la Francia su hijo Pipino, padre de Carló Magno, quien habiendo conquistado todo el Languedoc, ó Galia Gótica ó Septimania por los años de 760. unió todo este país á la Corona de Francia. Carló Magno lo separó de la Corona por haber querido formar un nuevo reyno, que fue el de la Aquitania en el año de 778. y á este nuevo reyno atribuyó todo el dicho país conquistado por su Padre Pipino, constituyendo Rey de Aquitania á su hijo Ludovico Pio. Pero habiendo muer-

to el Emperador Carlos en 814. en el de 817. Ludovico Pio su hijo, que habia sucedido à los vastos dominios de su Padre, separó otra vez la Gocia ò Septimania de lo que antes era parte del reyno de Aquitania, que quedaba unido à la Corona; y à dicho territorio de la Septimania ò Gocia añadió lo que se habia conquistado de los Moros en España, esto es, en Cataluña por la parte oriental, lo que se llamó Marca de España, y de todos estos dominios hizo un Señorío particular, que se llamó Ducado y Marquesado de la Gocia, y Septimania, y de la Marca de España.

De este dilatado Señorío fue el primer Duque, Conde ò Marques (pues con esta variedad se halla nombrado) un Godo de nacion llamado Bera en el año 817. por los prodigios de valor, que habia mostrado quando fue conquistada Barcelona de los Moros año de 801. y por el destrozo de un ejército de Sarracenos que hizo poco despues en las orillas del rio Ebro. En el año 820. fue acusado Bera de traydor por un Conde de su vecindad llamado Sanila, y como le faltasen pruebas, provocó al duelo, en que el acusador salió victorioso, y el acusado vencido; y con esto, como convencido de su delito, segun la preocupacion de aquellos tiempos, Bera fue despojado de sus honores y desterrado à Rohan.

A Bera sucedió el Conde Duque Bernardo, que en el año 826. mostró su valor y prudencia aquietando la sublevacion que habia movido Aizon en la Marca de España. En el año 828. el Emperador Ludovico Pio le llamó à su Corte, y le nombró por su primer Ministro, y Ayo de su hijo Carlos Calvo, que hubo de la Emperatriz Judith, y como estos meditasen formar un nuevo reyno para Carlos en perjuicio de la reparticion que habia hecho el Emperador entre sus otros hijos, se conjuraron contra él dichos Príncipes, y casi todos los Grandes del reyno. El Emperador para darles alguna satisfaccion se vió obligado à hacerle volver à su gobierno de Septimania y Marca de España en el año de 830.

En el siguiente dicho Bernardo Duque hizo cierta liga

